



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Dissertatio Prooemialis In Canonicas Institvtiones, Sive Jus Ecclesiasticum  
Universum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



DISSERTATIO PROOEMIALIS  
IN  
CANONICAS  
INSTITUTIONES, SIVE  
JUS ECCLESIASTICUM  
UNIVERSUM.



Estigiis Doctorum, atque exemplo inhæreo Jurisconsulti  
*l. 1. §. 1. ff. de Orig. Jur.* & ne propositæ tractationis mate-  
riam illotis, ut ille ait, manibus aggrediar, Canonicas In-  
stitutiones ordior à Canonum, & cujus isti nobiles por-  
tio sunt, ipsius Juris Origine Progressuque: ab ejus Natura,

Varietate, Authoritate: &c, quod *l. 1. pr. ff. de Justitia & Jure* Ulpianus  
monet, ab ipsa nominis Derivatione.

ARTICULUS. I.

De Juris Nomine & ge-  
nerali Divisione.

SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. Origo vocabuli Juris.                | 3. II. Locus Judicii;  |
| 2. Quò denotatur I. id quod justum est; | 4. III. Moralis facultas aliquid agendi<br>omittendi &c.       |
|   | 5. Quò sensu Jus aliud Proprietatis &<br>aliud Jurisdictionis: |
|   | 6. Et illud in Re vel ad Rem,                                  |
|   | 7. Vel ex utroque Mixtum est.                                  |
|   | 8. IV. Ars vel scientia Juris.                                 |
|   | 9. V. Lex vel Canon.   |

A

10. Pro

10. Pro lege sumptum Jus aliud Publicum & aliud Privatum:  
 11. Aliud Naturale est & aliud Positivum:  
 12. Quod variè subdividitur à TT. modernis.

I. **N**on eadem omnium, sed variæ Doctorum Opiniones sunt de vocabuli Juris Etymologia; fuere enim, qui id parùm scitè cum Connao *Lib. 1. Comment. Jur. Civil. Cap. 2. n. 4.* à dictione *Juxta*, vel à verbo *Juvo* derivarent; quòd adversus vim atque injuriam præsidio sit. Non meliùs per Metathesin id à nomine *Vis* deducit Alciatus *Lib. 1. Parerg. cap. 29.* quid enim magis contrarium Juri, aut legibus inimicum est, quàm vis? *l. Factum 155. ff. de Regul. Jur. & can. Christianis 11. q. 1.* Verisimiliùs vel per derivationem Grammaticalem à *Jussu* seu *Jubendo*, quò sensu jura sive leges à Priscis *Jussa* dicebantur, Festo teste: vel per Apocopen à *Justo*, ut Isidorus *can. Jus generale 2. dist. 1. relatus*: vel, ut Ulpianus *l. 1. pr. ff. de J. & J.* existimavit, per *Juridicam* & à causa finali desumptam notationem ab ipsa *Justitia* appellationem accepit, & cum Celso Jurisconsulto esse dicitur *Ars equi & boni pr. cit.* Utraque hæc nominis origo licet placeat præ aliis, & prior sive à *Jubendi* verbo *Jussivo* petita maximè congruat propositæ ejus acceptioni: à vero tamen fortassis non procul aberraret, si quis cum Gregor. Lopez *Animadvers. cap. 1. n. 5.* Juris vocabulum accenseret primitivis, aliunde non deductis: & à *Justitia* *Jussuque* id dici assereret, non per etymologiam, sed per Allpensionem duntaxat, ad eum ferè modum, quò *militem* à *Militia*, à *Mallo*, à *Multitudine*, à *Mille* nominari ait Ulpianus *l. 1. §. 1. ff. de Testamento milit.*

Non minùs, quàm derivationes, variæ Juris sunt significationes; aliquando enim, juxta nominis etymon Isidoro probatum *can. cit.* denotat idem, quòd justum est; vel quòd rationis naturalis dictamini Divinæque & Humanæ legi, omnis rectæ operationis humanæ Regulis, consentaneum: vel quòd, sicut æquitas dicitur, id quòd suum aut debitum est, cuique tribuat in sensu definitionis *Justitiæ* à laudato ICTO traditæ *l. Justitia 10. ff. de J. & J.* Hoc sensu S. Augustinus jus vocat, quòd justum est in *Plalm. 145. ad finem*, & quòd Jure fit, justè fieri ait *l. 9. Civitat. c. 21.*

Aliquando accipitur pro loco, in quo jus redditur, suumque aut debitum litigantibus per sententiam adjudicatur, *l. Jus 11. V. Alia ff. de J. & J. & Rubr. cum l. Voluit 4. §. 1. ff. de Interrogat. in jure fac.* Qua significatione in *ius iro*, *vocari*, *duci*, *comparere ac sisti in jure* dicimur, & Cicero ait, *Ego te in jure conspicio*, *Orat. pro Murena.*

Aliquando denotat moralem facultatem seu potestatem aliquid agendi vel omitendi, vel alterum ad aliquid dandum, faciendum, vel omitendum obligandi; quòd id naturâ vel lege sit permissum. Quò sensu quis suum jus *conferre vel transferre in alterum*, *l. Nemo 54. hæres in omne jus defuncti succedere l. Hæreditas 67. ff. de R. J. & J. de de partium jure cognoscere ac pronuntiare* dicitur *l. Jus cit. in fine.* Eòdem sensu *ledere jus alienum & nostro uti* dicimur *l. Nullus 55. ff. de R. J. & J.* & cum eò utimur, *injuriam non facere videmur*, *c. Cum Ecclesia 31. de Elec. & l. Injuriarum 13. §. 1. ff. de Injuriis.* Pro hujus modi facultate acceptum Jus aliud Proprietatis est & aliud Jurisdictionis.

Jus Proprietatis est potestas, seu facultas voluntate, verè vel interpretativè sua,

fua, & in ſuum commodum alterum obligandi ad aliquid præſtandum vel omittendum, ut ſunt dominium rerum corporalium, quaſi dominium incorporalium, jus utendi, fruendi, decimandi, jus eundi, agendi ambulandi per fundum &c. *Interpretativè*, inquam, ſua voluntate; propter infantes, amentes, pupillos, prodigos & ſimiles, voluntatis actum verè non habentes, vel illam habentes aligatam aut pendentem ex voluntate aliena v.g. tutoris, curatoris, patris, &c. quorum poteſtati tutelæ vel curatelæ ſunt ſubjecti; tales enim voluntate, non verè, ſed interpretativè tantùm ſua, ad dandum faciendum vel omittendum alios obligare cenſentur ſecundùm voluntatem tutoris, curatoris, patris; ut, quæ verè ac phyſicè iſtorum eſt, juris interpretatione & moraliter infantis, pupilli, filij &c. voluntas reputetur. Jurisdictionis jus eſt poteſtas publica voluntate ſua, in totius communitatis, aut etiam privatorum bonum alterum obligandi ad aliquid faciendum vel omittendum: cujuſmodi Jurisdictionale jus non ſolùm Papa, Imperator & alij Principes ac Magiſtratus, ſuperiorem in ſpiritualibus vel ſaltem in temporalibus non recognoſcentes: ſed Prælati quoque, Principes ac magiſtratus inferiores, & quicumque cum ordinaria vel delegata poteſtate conſtituti iudices habent.

6. Jus proprietatis celeberrima partitione à *TT.* pariter & *ICT.* aliud in Re aliud ad Rem eſſe dicitur. In Re ſive Jus Reale eſt, quod immediatè reſpicit rem; ut ad quemcunque ea deveniat, ſemper tranſeat cum hoc onere, ut eam, ſive jus quod in ea habet, quis perſequi poſſit; cujuſmodi in prædio vel equo habet is, cui illud vel iſte à domino venditus ac traditus eſt; in beneficio Eccleſiaſtico, qui in eo canonicè eſt inſtitutus; in fundo ali-

eno, qui eo utendi fruendi, per eum eundi, agendi, ambulandi, vel pignoris jus in eo habet &c. Unde huiusmodi jus in hære dicitur rei, fundatque Actionem Realem, ut eſt *Rei vindicatio*: uti & *Confefſoria Negatoria, Publiciana, Reſciſſoria, Pauliana, ſerviiana* & quaſi *ſerviiana* Actiones, §. 1. *Inſtit. de Actionibus* & l. *Actionum* 25. pr. V. *In re ff. de O. & A.* Ad Rem ſive Personale jus eſt, quod immediatè reſpicit perſonam, ex contractu vel quaſi contractu, ex delicto vel quaſi delicto obligatam, §. 1. *cit. V. Namque* cujuſmodi jus emptor, ante rei ſibi venditæ traditionem, electus ad prælaturam & præſentatus ad beneficium Eccleſiaſticum ante confirmationem vel inſtitutionem, creditor ex mutuo, damnum vel injuriam paſſus &c. habent. Ex hoc jure deſcendunt Actiones Personales, ſive immediatè & proximè tendentes in perſonam nobis obligatam, §. *In perſonam* 3. *Inſtit. de Action. & pr. cit. V. In perſonam*, ubi harum Actionum accuratam non minùs quàm latam explicationem *Interpp.* dabunt.

7. Præter jus mere Reale & mere Personale permulti & magni nominis *ICI* agnoſcunt jus Mixtum, de utroque illo aliquid participans: quale jus habet Titius, qui ſervum ſuum fugitivum apud Cajum, hominem aliquem detinentem, latere non ex vano ſuſpicatur; cum jus, quod habet, immediatè rem & perſonam reſpiciat: & neque mere Reale ſit; quòd Titius non habeat *Rei Vindicationem*, quâ hominem à Caio detentum tanquam ſuum ſibi adjudicari petere; ſed ad ejus tantùm exhibitionem agere immediatè poſſit: neque etiam mere Personale; quia contra huiusmodi juris naturam, jus quod Titius habet, etiam reſpicit rem ſive ſervum, qui ut res conſideratur, & perſonam quam-  
cunque-

cunque, ad quam servus pervenit, sequitur; & propterea fundat Actionem *Ad exhibendum*, quæ neque mere Realis neque mere personalis, sed Mixta est; cum aliquid participet de utraque. Hujusmodi actiones Mixtæ etiam sunt, quæ dicuntur *Familia heriscunde*, *Communi dividundo* & *Finium regundorum*: quæ propterea Actiones *Personales in rem scriptæ* nuncupantur: & distinguuntur ab Actionibus mere Personalibus; quia hæc quidem *Ad rem*, non etiam *In rem* sunt. Ita cum ICT'is à Zœsio in §. 1. cit. n. 5. & 53. relatis Haunoldus. Tom 1. de J. & J. tract. 2. n. 67.

8. Aliquando & frequenti usu Juris nomine venit ars sive scientia Jurium, id est, Legum & Canonum. Quò modò sumptum Jus *Ars æqui & boni* ab Ulpiano l. 1. pr. ff. de J. & J. & ab Imperatore Jurisprudentia, *divinarum atque humanarum rerum notitia, justæ atque injustæ scientiæ* nuncupatur, §. 1. Instit. Rubr. cit. Eòdem sensu, qui scientiæ huic comparandæ operam dant *Juris studiosi*, & *Juris consulti* vel *periti* ac *Doctores* vocantur, qui eam callent: ii vero, qui in Academiis & studiorum Universitatibus eandem docent, insuper *Juris Professorum* & *Antecessorum*, ex ff. Proæmio & l. Tanta 2. §. 9. C. de Vet. jure enucl. de prompta appellatione honorantur.

9. Demum aliquando Juris nomen significat Legem vel Canonem, sive Regulam justæ. Quò modò id accipitur, cum aliquid *liquidum* & *exploratum* vel *dubii juris*, vel *huic esse consentaneum* dicitur: cum *Jus* opponitur *Facto*, & quæstio, error & ignorantia alia *Juris*, alia *Facti* vocatur *Rubr. & text. ff. & C. de Ignorant. Jur. & Facti*: uti & cum Jus in Naturale Gentium & Civile partiuntur Ulpianus & ipse etiam Justinianus l. 1. §. 2. ff. & §. fin. Instit. de J. & J. pr. & §. 1. & 2. Instit. de

*Jure Nat. Gent. & Civili*. Eòdem sensu Commentariis suis Doctores, & Scholasticis exercitationibus Civilis & Canonici, Publici & Feudalis Juris interpretationem tradere Professores: studiosi verò excipere dicuntur, Molina *Tract. 1. de J. & J. disp. 2. à n. 1.* Suarez de LL. lib. 1. c. 2. n. 1. & Pirrhing in *Decretal. Proæm. à n. 2.*

Postremò hoc & nobis propositò modò, sive pro lege sumpti Juris complures, in decursu declarandæ, & generales duæ sunt divisiones.


Una in Jus Publicum & Privatum, prodita l. 1. §. 2. ff. & §. fin. Instit. de J. & J. Publicum est, quod principaliter & immediatè statum & gubernationem ipsius Reipublicæ spectat & cit. l. 1. §. 2.

V. Publicum consistere dicitur in *Sacris & Sacerdotibus*, in *Magistratibus*; sive quod de Religione, de sacris prophanisque Magistratibus; de Ludis alisque exercitationibus Literariis Militaribus &c. de Pace & Bello; de Fœderibus, Induciis, Legationibus, & universim de omnibus, quæ publicam totius communitatis Ecclesiasticæ vel Sæcularis utilitatem immediatè spectant. Privatum autem immediatè ac principaliter respicit privatam utilitatem civium singulorum, ut quò de pupillis, minoribus, mulieribus, Ecclesiis; ut in demnes ferventur &c. de successione, contractibus, judiciis &c. agitur. *Principaliter* inquam, & *immediatè*; quantumvis enim Leges & Jura omnia pro publica utilitate condita sint, *can. Erit autem lex 2. dist. 4.* & quod publicè est utile, etiam privatim proficit: & contrà, quod concernit singulos, in universos redundet; cum locupletes, bonosque cives habere, Reipublicæ: & hanc bene constitutam esse, civium intersit, l. *Unica* §. 14. C. de *Caduc. roll.* in executione tamen quædam principaliter & primò in utilitatem ipsius Reipublicæ, & consequenter in singulos seu pri-

ſeu privatos cives dimanant : alià primò referuntur ad bonum & utilitatem privatorum, & ab his per quandam conſequentiam in ipſam Rempubicam redundant, Hunnius in *Trentl. Vol. 1. diſp. 1. theſ. 3. in fine* Hermes *Faſcicul. Jur Publ. cap. 1. n. 3.* & Manzius *ad §. fin. Inſtit. de J. & J. à n. 6.*

11. Altera in Naturale & Poſitivum, tradita ab Ariſtotele §. *Ethic. cap. 7.* Quam Philoſophi diſiſionem Molina *Tract. 1. de J. & J. diſp. 3. n. 4. & 5.* Leſſius *Lib. 2. de I. & I. cap. 2. n. 9.* aliique TT. moderni & ex RR. ICT<sup>is</sup> non pauci amplectuntur : eiusque membrum poſterius, ſive Jus Poſitivum ulterius in Divinum & Humanum : & hoc rurſum in Jus Gentium Civile & Canonicum partiuntur, utique magis artiſicioſè, quàm Ulpianus *l. 1. §. 2. ff. & ipſe Juſtinianus §. fin. Inſtit. de I. & I.* Quibus locis uterque Jus trifariam partiti ſunt in Naturale Gentium & Civile. Sed eà partitione plus juſtò priſcis Romanorum Juris Conſultis & conditoribus, Canonicò & Novæ Legis Divinò Jure antiquioribus, Vetùſque penitus ignorantibus, aut id cum Humano confundentibus tribuere : & contra juſtæ Diſiſionis præcepta non omne, etiam Privatum, jus ſunt complexi; cùm, ſicut Canonicas ſanctiones per multas, ſic Divinas, ſaltem Veteris Teſtamenti, leges non paucas, triplici illò diſiſionis membrò non comprehenſas, ad privatum Jus pertinere, ex Levitico ſit exploratum.

Quare, poſteriori hac Legum Civilium Interpretibus relictà, Diſiſionis Ariſtotelicæ & Theologicarum Subdiſiſionum membra, iisque diſtinctorum Jurium ſingulorum originem, naturam, vimque imus explicatum.



ARTICULUS. II.

De Jure Naturali.

SUMMARIUM.

- 13. Veterum, hoc Jus etiam brutis adſtruentium,
- 14. Et RR. DD. illud his negantium Vera Opinio,
- 15. Solidà Ratione,
- 16. Etique objectorum ſolutione ſtabilita.
- 17. Jus Naturale brutis ſolum abuſivè : Homini verè ac propriè tribuitur :
- 18. Eſtque ipſum illi à Natura inſtitum Lumen ſeu dictamen Rationis.
- 19. Naturalis Juris Generalia præcepta,
- 20. In Decalogo & Evangelio explicata.
- 21. Naturali Jure actus quidam ſolummodo prohibiti :
- 22. Alii inſuper irritati ſunt ;
- 23. Propter defectum principii valoris ſubſtantialis,
- 24. Vel inſiſſeca malitia perpetuitatem.

**J**us Naturale in brutis etiam animalibus cum VV. ICT<sup>is</sup> non paucis agnovèrè Guilielm Parif. *p. 1. de Univerſ. p. 3. c. 3.* Gregor. Lopez *Animadverſ. p. 3. cap. 8.* Albert. Gentil. *3. lect. 1.* Lorient. *de Juris Arte Tract. 10. axiom. 3.* & alii, decepti ab Ulpiano *l. 1. §. 3. ff. de I. & I.* & hunc ſecuto Juſtiniano, *pr. Inſtit. de Jure Nat. Gent. & Civil.* ubi uterque Jus Naturale, inquit, eſt, quod natura omnia animalia docuit; nam jus iſtud non humano generi proprium : ſed omnium animalium, quæ in calo; quæ in terra,

A ;

terra,

*terra, qua in mari nascuntur, & avium quoque commune est.* Et, cum ex hoc Jure maris ac feminae conjunctionem, liberorum procreationem & educationem descendere, statuisset, sententiae suae Rationem cum ICT.º Imperator ipsam experientiam reddidit; *Videmus enim cetera quoque animalia, seras etiam istius Juris peritiã censeri.*

14. Sed hæc explicatio Juris Naturalis, & istud humano generi brutisque animantibus communiter adstruentium Opinio merito displicuit Laurent. Vallæ lib. 4. *Elegant, cap. 40.* Connano lib. 3. *Comment. Jur. Civil. cap. 6.* Corralio lib. 6. *Miscell. cap. 25. n. 7.* Welenbecio *Paratit in ff. de I. & I. n. 25.* & aliis, ullam veri Juris participationem in brutis non agnoscentibus.

15. Ratio solida est; quòd, licet à Natura infusus quidam instinctus, & ad actus illos propensio animantibus cæteris & homini communis detur, is tamen, prout bestias movet, Juris nomen non mereatur; cum jus in illas non cadat; quia brutæ animantes expertes sunt rationis libertatisque, obligationis ac pœnæ incapaces: Creaturam autem, ut afficiatur Jure, oporteat præditam esse usu rationis libertatisque, obligationis & pœnæ capacem. Ratione præditam ut actus qualitatem eumque præcipientis vel prohibentis Regulæ vim agnoscat. Libertate, cum id, quod agitur vel omittitur necessitate, frustra imperetur aut vetetur. Capacem obligationis; quòd hanc lex & jus imponat. Pœnæ etiam; quia hanc Juris prævaricatio meretur.

Rationi huic non leve pondus addit Primò; quòd si, ut creatura Juri naturali subsit, necessaria non sit Ratio & Libertas, sed sufficiat vis ac propensio naturalis, jure illo cum brutis animantibus vegetabilia quoque & ipsas res inanimatas affici, sit statuendum; cum ex uua, naturali qua-

dam vi ac propensione speciem suam vegetabilia propagent: & ex inanimatis levia ferantur sursum, gravia deorsum, & ad polum suum magnes moveatur: ex altera verò parte, non appareat ulla Ratio, cur jure illo affici nequeant creaturæ destitutæ cognitione, si libertate & ratione carentes eò regi concedatur; cum, quæ ratione & libertate carent, jure impostam obligationem neque attingere cognitione, neque eligere valeant. Secundò quòd, si juris naturalis sit, quod bruta cum homine habent commune, sicut maris ac feminae conjunctio ad proles generationem, istiusque alimentatio & educatio: sic etiam comestio, progressio, quies, similesque actiones aliæ referendæ sint ad jus naturale; cum istæ homini & brutis communes non minùs sint, quàm illæ: quod tamen à vero esse alienum & profus absurdum adversarii agnoscent. Tertio; quòd si in brutas animantes cadat jus, in eas injuriam quoque cadere sit necesse; cum eadem ratio sit contrariorum: injuriam autem in bruta non cadere scripserit ipse Ulpianus l. 2. §. 3. ff. si quadrup. paup. sec; quòd sensu, id est ratione careant, pr. *Instit. eadem Rubr.* atque idcirco damnum datum à bruto, quòd sine injuria inferentis datum sit, *pauperiem*: & actionem, quâ illatum est, non injuriam, sed noxiam appellârunt pr. *U. S. 3. l. cit.*

Sic roboratæ Rationis vim convellere aut eludere, qui eã petuntur: suumque de Naturali jure sensum tueri variè conantur.

Et primò quidem Jus illud brutis & homini commune esse ajunt solum *materialiter*, sive quoad materiale opus & actiones utriusque communes, ut sunt maris & feminae conjunctio ad sobolis procreationem & alimentatio educatióque procreatæ, in quas instinctu & propensione naturali homines & bruta feruntur: non  
forma-

*formaliter*; cùm in actiones illas homo, non bruti instar, impulsu & affectione solius naturæ sensitivæ, sed rationalis quoque, sive à natura insitæ Rationis ductu & electione feratur. Sed hoc deductæ Rationis vim non convellit; cùm quia materialis illa communio actionum ad Juris Naturalis, prout rationem legis habet, communionem inducendam non sufficit; cùm enim jus, prout legis rationem habet, in subiecto, quod afficit, capacitatem obligationis, rationemque exigat & libertatem, naturam sensitivam sive animal afficere nequit, nisi contractum sit ad differentiam rationalitatis: & homo, quòd istà differat à brutis, cùm his habere nequit ullam Juris communionem: tum verò; quia jus Naturale quatenus ad sui suæque speciei conservationem & propagationem movet, semper involvit modum rationalem: & in ipso opere materiali, sive actione ad illam à natura ordinata & brutis communi, homini prohibet conjunctionem cum filia & matre, vagumque concubitum & fornicationem simplicem: à quibus naturali instinctu, bruta non arcentur, ut probè advertit Suarez *lib. 2. de LL. cap. 17. n. 6.*

Secundò, Naturale jus perperam à brutis ad res vegetabiles & inanimatas trahi dicunt; quòd, cùm natura sensitiva Rationali proxima: vegetabiles autem res ab ea remotæ; & remotissimæ sint inanimatæ: & objectum, in quod feruntur, cum homine sola bruta cognitione attingant, Jus brutis potius, quàm viventibus cæteris vitæ; carentibus sit accommodatum. Sed, esto rebus, quæ sensu & vita carent, bruta homini viciniore sint, sensu tamen, quò solò illis præstant, jure inductæ obligationis vim non attingunt; quòd ratione ipsa quoque destituantur: & obligationi illi se submittere vel subducere, eaque submissione vel subductione præmium vel pœnam

promereri nequeant; ob defectum libertatis, intellectualem cognitionem exposcentis.

Tertiò, pœnæ etiam brutas animantes esse obnoxias, contendunt; quòd non desiderentur exempla vindictæ exercitæ in eas, & Divina etiam lege constitutæ, si occidisset hominem, vel huic monstrosa libidine se commiscuisset, *Exod. cap. 21. v. 28. & Levitici cap. 20. v. 15.* Sed ista quoque jus, reatum ac pœnam in bruta cadere non evincunt; quia vindicta illa ad reatus punitionem in hominem duntaxat: in bruta autem exercita & præscripta fuit, non ad illa coërcenda, sed ad deterrendos homines: & ut mortalium oculis & conspectui subducerentur; ne scèdissimi flagitii memoriam occursum suo refricarent, *Cornel. à Lapide in Exodi v. cit.*

Quartò, Naturalis Juris esse negant brutorum comestionem, progressionem & similes actiones, ipsis & humano generi communes; quòd, licet istas homo faciat *naturaliter*, non tamen eas faciat *jure naturali*, sive secundum istius præcepta & sicut facit, quæ ad speciei suæ conservationem propagationemque à natura ordinantur: Juris autem Naturalis brutorum actiones eæ tantum sint, quas ipsa ex instinctu & propensione naturali: homo autem secundum Naturalis juris præcepta facit. Verum, si res penitus inspiciatur, sicut comestio progressio &c. sic & prolis generatio educatioque merè naturaliter & non Jure Naturali à brutis; ab homine verò, sicut hæc posteriores, sic & priores illæ actiones Naturali jure fiunt, quando præviâ rationis deliberatione electioneque ad conservationem virium, corporis & animi relaxationem exercentur: & contra non jure Naturali, sed mere naturaliter ab homine quoque utriusque generis actiones fiunt, quando inclinatione solius naturæ sensitivæ, sine præviâ rationis ad-

verten-



vertentia, deliberatione, electione, exercetur.

17. Quinto demum, deducta & haftenus firmata Rationis pondere convicti & plane oppressi alii ingeant fatentur, DD. illos cum VV. Juris Consultis & Conditoribus, aut errasse, si proprie dictum Naturale jus in brutis animantibus agnoverunt; vel his impropria anaphorica & abusiva locutione tribuisse Jus, cujus in naturae sensitivae actionibus materiam & imaginem, vel potius umbram quandam contempserunt. Quo sensu brutis adtribuunt Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem & Virtutes alias, quarum in illis non veritatem, sed similitudinem, imitamenta & simulacra quaedam deprehenderunt, ut docent ex TT. Naturalis juris Interpretes praestantissimus Suarez *Lib. 1. de LL. cap. 5. n. 3.* & ex ICTis Donellus *lib. 1. Comment. cap. 6.* Hilliger *ad c. cit. à lit. G. Wesenbec. ad pr. Insit. cir. Mynfinger n. 2.* Harpreht *n. 3.* Manzius *à n. 16.* & alii, in hunc suum de Jure Naturali, homini & brutis communi, sensum cum Ulpiano trahentes ipsum Justinianum, *Cetera animalia istius Naturalis Juris, non esse perita, sed peritiam duntaxat censerit*, verbo improprietaem denotante, asserentem *l. 1. §. 3. & pr. cit.* propter complurium actuum homini & brutis communium similitudinem: licet, quod tales actus à brutis solo impulsu & affectione naturae sensitivae; ab homine verò ductu Rationis praeviaque deliberatione & electione fiant, in illis merè naturaliter, in isto verò Juris Naturalis proprie existant.

18. Quare, illa Veterum Juris Consultorum & Conditorum definitione vel modò explicatò intellectà, vel omnino reiectà, rectè Suarez *cit. cap. 3. n. 9.* Molina *Tract. 5. de J. & J. disp. 47. n. 3.* Salas *de LL. disp. 5. t. 1. n. 3.* Laiman *lib. 1. tract. 4. cap. 8. n. 7.* aliique ex TT. & ex ICTis RR.

Grotius *de Jure B. & P. cap. 1. n. 10.* & Mævius *Prodrom. Jurisprud. Inspect. 2. n. 14.* Jus Naturale creaturae Rationali soli, quòd sola legis capax sit, attribuentes, id nihil aliud esse docent, quàm à Naturae authore Deo nobis inditum lumen Rationis, sive dictamen, quò honestum discernimus ab inhonesto: & ad quaedam quidem, tanquam naturà suà nobis convenientia, agenda v.g. ad colendum Deum, parentes honorandos, legitimo magistratui obediendum, injustè ablata restituenda, praestanda promissa &c. ad alia verò v.g. blasphemiam, perjurium, mendacium, tanquam disconvenientia vitanda, nos agnoscimus obligari: quaedam demum, tanquam ex se indifferentia, nobis permissa judicamus.

Innuisse id videtur Regius Vates *Psal. 4. v. 6.* ubi *Stultis, stultis, inquam, & iniquis hominibus* ( ut ad mentem S. Augustini vocem illam S. Thomas exponit apud Heferum *in Psalm. cit. n. 8.* ) quasi de re, ab humana cognitione remotissima, percunctando sciscitantibus, *Quis ostendit nobis bona?* hoc est, bona opera nobis facienda? Divino afflatus Spiritu responderet, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Lumen seu vis Rationis homini connata, & à Natura indita ad discernendum à malo bonum: & hoc quidem faciendum, illud autem declinandum, dicitur, *Psal. 36. v. 27.* Unde S. Gentium Doctor & Apostolus ad Roman. *cap. 2. v. 14. & 15.* *Gentes. inquit, quae legem, Moisaicam, non habent, naturaliter ea, quae legibus sunt, faciunt*, hoc est, lumine & ductu à natura ipsis insitae rationis pleraque opera legis perficiunt, ut S. Doctor ipsemet declarat subjectis verbis, Ejusmodi legem Moisaicam non habentes ipsi sibi lex sunt. Quae etiam Ratione lex sibi ipsi sunt, explicans ait, *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddent-*

*reddente ſcientiâ* : quæ eſt opus hominiâ Natura inſitæ Rationis.

Eandem Juris ſive legis Naturalis explicationem apertè tradit S. Thomas in 4. diſt. 33. art. 1. ubi *Naturalis*, inquit, *conceptio omni homini indita, quâ dirigitur ad operandum convenienter, lex Naturalis ſeu Jus naturale dicitur*, & 1. 2. q. 94. art. 6. allegans clariffimum Eccleſiæ lumen D. Auguſtinum: qui *Lib. 2. Confefs. cap. 4.* ad Deum converſus ait, *Lex tua ſcripta eſt in cordibus hominum*: de eodémque loquens, *Quis enim*, inquit, *ſcribit in cordibus hominum Naturalem legem, niſi Deus?*

Atque ab hac Juris Naturalis explicatione aliena non eſt ea, quam tradit Imperator, illud eſſe aſſerens, *Quod naturalis Ratio inter homines conſtituit*, §. 1. *Inſtit. de J. N. G. & C.* & altera M. T. Cicero nis, qui *Lib. de Republica*, *Eſt*, inquit, *vera Ratio Natura congruens, diſſuſa in omnes & conſtans, quæ vocat ad officiũ jubendo, vetando &c.*

20. Hujus, creaturæ Rationali & homini præfertim proprii, Juris Naturalis generaliffima præcepta ſunt, *Declina à malo & fac bonum*. Pfalm. 36. v. 17. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, Quorum latiffimè patente præcepto & prohibitione comprehenſarum actionum quædam Deum, aliqua nos ipſos, aliæ proximum ſpectant. Primi generis ſunt, Deum Conditorem, Conſervatorem, Largitorè ac Remuneratorem noſtrum colere, ſupremum ejus Numen adorando & reverenter invocando ejus Nomen, ei ſerviando laudèſque & gratiarum actiones exhibendo. Secundi, honeſtè vivere, vitando mendacium, ab ebrietate, omnique illicito concubitu & quavis alia turpitudine abſtinendo. Poſtremi, honorare parentes, magiſtratus revereri, benefactoribus referre antidora, neminem lædere damnò ali-

quò in anima, corpore, fama, rebus ſuis eum non afficiendo, in contractibus & commercio non circumveniando; ſuum cuique tribuendo, præſtando ex pacto vel maleficio debita, indebitè ablata vel reſtenta reſtituendo & injuſtam læſionem reparando.

Neque hæc ad Jus Naturale perpetram omnia referri inde inferitur; quòd eò Jure omnia communia, & contractuum aliqui Gentium, alii Civilis Juris eſſe perhibeantur; quia, licet res, initiò communes, facta cum tempore diſiſione in privatorum tranſierint dominium: & contrahendi modi Gentium vel Civili Jure inventi & introducti ſint, iis tamen datæ fidei ſervandæ, reiſque ex diſiſione certum dominum habentis eiſque ablata reſtentæ reſtituendæ obligatio Juris eſt Naturalis, ſicut obligatio præſtandi, quod Deo aut homini ſimpliciter vel interveniente juramento, eſt promiſſum; cum ſuum cuique tribuendum, datam fidem & religionem jura menti ſervandam, ante Civile & ipſum Gentium jus, dictârît ratio Naturalis.

21. Neque, idem Jus ultra cordibus noſtris inſcripti luminis & rationis dictamina porrigi, evincit pronunciatum Gratiani in *Summa diſt. 1.* Jus Naturale dicentis, *Quod in Lege & Evangelio continetur*; quia verbis iſtis Decreti compilator neque Jus Naturale definire: neque ea, quæ Lex Vetus per Moysen, & Nova per Chriſtum Dominum & ejus Evangelium propoſita complectitur, omnia Naturalis Juris præcepta eſſe aſſerere intendit: ſed ſolummodo docuit, Jus illud contineri in *Lege*, hoc eſt, præceptis iſtius Moralibus ſeu Decalogò: atque etiam in *Evangelio*, explicante vel confirmante illud Jus, quatenus erga homines obſervandum eſt, vel id ſummatim comprehendente verbis Chriſti, *Omnia quacunq; vultis, ut faciant vo-*  
bis bo-

B

bis bo-

*bis homines, & vos facite illis* Matth. cap. 7. v. 12. quod non obicere insinuat ipse Gravianus, suo illi pronuntiato Evangelicum hoc dogma conjungens, ut cum D. Thoma 1. 2. q. 94. art. 4. advertit *cit.* Suarez Lib. 2. cap. 7. n. 9.

22. Dubium & magni momenti controversia est, an dentur actus Naturali Jure irritati. Ratio dubitandi est; quod Jus & Ratio Naturalis actuum inhonestatem & turpitudinem solummodo manifestet: nihil autem faciat, actibus inhonestis decernendo poenam aut vim adimendo, ut plane liquet ex Venditione facta pretio justo majori; ex conjugio, in sponsalium ante initorum praedictum, vel post habitum Continentiae aut Religionis voto, contracto: quos & similes actus alios Jus & Ratio illa inhonestos esse dicit, quin irritos decernat. Rationi huic non parum roboris inde accedit; quod non appareat ratio alios praeter alios irritandi: neque nota vel Regula, irritatos a simpliciter prohibitis discernendi.

23. Nihilominus, sicut inhonestatem, sic actuum quorundam nullitatem ex Jure illo descendere, DD. passim supponunt, dum de variis, an Positivo aut etiam Naturali jure irriti sint, in quaestionem & controversiam deducunt: idque tanquam rem omnino exploratam tradunt Sanchez Lib. 7. de Matrim. d. sp. 51. n. 3. & 4. & Suarez l. cit. cap. 12. n. 3. id comprobans exemplis matrimonii initi inter primi gradus consanguineos lineae rectae, contractus Usurarii quoad usurae ex eo exigendae jus & obligationem, pactionum de re turpi & inhonestis initarum &c. qui actus Jure illo vetantur simul & irritantur. Quare vana est ratio in contrarium deducta; quia Naturali jure, licet poenae taxatio Providentiae Justitiaeque Divinae, istiusque ministris & subordinatis Magistratibus permittatur, suo tamen distamini repugnant

actuum, non malitiam tantum & inhonestatem, sed reatum quoque poenae & nullitatem manifestari, allata exempla omni demonstratione efficacius ostendunt.

Actum autem eo jure irritum a simpliciter illicito discernendi Ratio sive Regula gemina est. Prima irritos declarat actus eo vetitos, qui deficiunt in valoris principio substantiali, vel hoc tollunt; sic enim eo jure irritata quoque est iterata & Cajo facta donatio aut venditio rei, quae ante donata venditave & simul tradita Titio fuit; quod Cajo facta deficiat in principio valoris actus substantiali, scilicet donandi & vendendi potestate sive dominio; quod est jus de re disponendi, & per donationem aut venditionem primam secuta traditio in Titium translata jam fuit, l. Traditionibus 20. C. de Pa. Sic eodem Jure Naturali irritus est contractus & actus quicumque extortus vi aut metu adimente usum rationis, vel dolo substantiali, seu versante circa substantiam rei; quia validi actus, cujuscunque substantialis principium est consensus, quem ejusmodi vis & dolus tollit. l. Nihil. 116 ff. de R. J. & l. Per errorem 15 ff. de Jurisdic.

24. Altera irritos declarat actus, qui naturali jure illiciti sunt propter malitiam intrinsecam perpetuam, sive turpitudinem semper durantem. Ex quo capite contractus Usurarius quoad usuras naturali Jure irritus est; quod turpitudine, propter quam prohibetur, perpetuo duret; cum, sicut in conventionem, sic etiam in usurarum exactioe & solutarum retentione repetitur. Eadem Ratio est nullitatis nuptiarum inter primi gradus Consanguineos ascendentes ac descendentes initarum; quia turpitudine & indecentia: ob quam illicitae sunt, perpetuo durat, nec magis in illarum contractu, quam contractarum usu reperitur. Utramque hanc Regulam agnoscit & tradit *cit.* Suarez n. 4. & 5. Unde Patet

Patet ratio, cur in dubitandi ratione allegata venditio & nuptiæ Jure Naturali illicitæ quidem, non tamen invalidæ sint; quia nec in vendente & nubente consideratur potestas, aut voluntas; cum ille rei dominium, iste jus in corpus suum in alium non transtulerint: neque intrinsicæ malitiæ perpetua sit; cum, licet excessus pretii restituendi & à debiti conjugalis exactione abstinendi obligatio duret; turpitudinem tamen non perseveret in retentione pretii iusti rei venditæ, neque reperitur in debiti exactione.

## ARTICULUS III.

## De Jure Positivo, ejusque differentia à Naturali.

## SUMMARIUM.

26. Juri Positivi natura.
27. Differentia inter præcepta Juris Negativa & Affirmativa.
28. Jus Naturale obligat ex ipsa natura rei:
29. Positivum ex libera voluntate Superioris.
30. Naturalis sunt prima & generalia Morum principia:
31. Et ex his etiam evidenter deductæ conclusiones:
32. Quas aliqui perperam tribuunt Juri Genium.
33. Positivum Jus varium: Naturale semper & ubique idem,
34. Et Immutabile est;
35. Etiam quoad particularia præcepta:
36. Nisi objecti mutentur circumstantiæ,
37. Vel solummodo Permissivum sit.

**J**us Positivum, quod aliqui *Positivum* 26. vocant apud Connamum *Lib. 1. Comment. cap. 8* sic dicitur, quod ultra ea, quæ Jus Naturale præcipit vel prohibet, aliquid ponat: estque, quod procedit ac pendet à libera voluntate superioris, scilicet Domini Dei vel hominis, aliquid præcipientis, prohibentis vel permittentis, Suarez *Lib. 1. de LL. cap. 3. n. 13.* & Molina *Tract. I. de L. & l. disp. 4. n. 2.*

Ejus & Naturalis etiam Juris præcepta quædam Negativa, prohibentia id, 27. quod est malum, vel intrinsicè five ex natura ipsius rei vel actionis, ut blasphemia, mendacium, perjurium: vel saltem extrinsicè ob legitimi superioris prohibitionem, ut comestio de ligno Scientiæ boni & mali Genes. *cap. 2. v. 17.* vel carni in Quadragesima: Alia verò Affirmativa sunt, præcipientia id, quod bonum & honestum est, vel ex natura rei five actus præcepti, ut est colere Deum, honorare parentes: vel extrinsicè five ex voluntate superioris, ut est observatio Festorum ac Jejuniorum, Confessio annua & Communio Paschalis. Inter quæ præcepta ea differentia est; quod illa sive Negativa *Semper* & *Pro semper* obligent, & impleri valeant per solam actus prohibiti omissionem & voluntatem illum omittendi. Ista verò sive Affirmativa, & si etiã *semper*, non tamen obligent *Pro semper*, sed pro iis tantum circumstantiis & occasionibus, in quibus actus præcepti omisio est mala: & per actum positivum, fere ab implendi voluntate distinctum implentur, cit. Suarez *Lib. 2. cap. 13. n. 4.*

Inter ipsa autem jura Naturale & Positivum à Doctoribus fere omnibus receptæ & notatu dignæ sunt tres differentiæ celebriores.

Prima est, quod Naturale obliget ex ipsa natura rei præceptæ, in qua honestatem: vel

tem: vel prohibita, in qua inhonestatem ac turpitudinem supponit: Positivum autem ex libera Superioris voluntate, quæ facit esse malum, quod prohibet; & quod præcipit, necessarium vel honestum reddit. Unde tritum in Scholis pronuntiatum test, Lege sive Jure Naturali præcepta vel prohibita, ideo præcipi vel prohiberi, quia bona sunt vel mala: præcepta autem vel prohibita Lege sive Jure solum Positivo? mala vel bona esse; quia prohibita sunt vel præcepta, *cit.* Suarez *cap. 7. n. 1.*

30. Dubium hic & controversia inter DD. celebris est, an omne, quod est intrinsecè honestum aut ita inhonestum, materia sit Juris naturalis; sunt enim ex ICT is fati multi & nonnulli etiã TT. qui à Naturali Jure descendere existiment, sola prima & generalia principia, per se & immediatè nota ex ipsa terminorum apprehensione, ut *Bonum faciendum, malum declinandum, non faciendum alteri, quod sibi quis fieri nolit*: præcepta verò particularia & quæ intrinsecè bona malæ esse ex ejusmodi principiis per discursum etiã evidentem deducitur, non ad Naturale, sed ad Gentium Jus pertinere; quòd istius Juris præcepta sint, Deum colere, patriæ & parentibus parere, *l. Veluti 2. ff. de J. & J. reddere depositum, l. Bona fides 31. pr. ff. Depositi*: idemque jus vim vi repellere permittat. *l. Ut vim 3. ff. de I. & I.* quæ omnia cum ex principiis illis evidenter deducantur, & ad jus Gentium pertinere ex *ll. cit.* exploratum sit, idem pronuntiandũ erit de cæteris, quæ ex primis illis ac generalibus principiis moralibus per evidentem discursum inferuntur; ne jus Gentium confundatur cum Naturali, vel istius solum portio esse dicatur.

31. Nihilominus, sicut prima illa ac generalia, sic particularia quoque principia, ut in Decalogo præceptus Dei cultus & parentũ

veneratio, eodemque prohibitum homicidium, furtum, adulterium & similia sunt; & quæ ex principiis illis per discursum evidenter deducuntur, ut quibus mendacium, fornicatio simplex, usuræ lucratoris &c. prohibentur, Naturalis Juris præcepta esse, cum S. Thoma *1. 2. q. 100. art. 1. &c.* Turcremata *in can. Jus autem 6. dist. 1.* Covarruvia *in Reg. Peccatum p. 2. §. 11. n. 4.* & alii defendunt *cit.* Suarez *cap. 7. n. 4.* & Salas *disp. 5. de LL. n. 8. concl. 2.* Ratio est partim; quòd non ideo bona malæ sint; quia sunt prohibita vel præcepta: Sed præcepta vel prohibita sunt, quia bona malæ, honesta sunt vel inhonestæ: eaque propter bonitatem honestatèque, malitiam inhonestatèque intrinsecam faciendæ vel omittendæ, secluso omni aliò jure, dicitur ipsum lumen & ratio naturalis: partim verò; quia eò ipsò, quòd prima & generalia illa, etiam particularia ex ipsis evidenter deducta præcepta moralia naturalis esse juris, est necesse; cum particularia insint generalibus: & per discursum evidentem deducta comprehendantur ijs, ex quibus ita deducta sunt; ut, qui præcipit aut prohibet illa, ista quoque præcipere vel prohibere intelligatur; quia genus omnes species sub se contentas: & id, ex quo aliquid deducitur, deductum includit, *l. Semper 147. ff. de Reg. jur.*

32. Neque hanc de particularibus & evidenter illatis præceptis moralibus sententiam convellunt ex legalibus sanctionibus allegata & Gentium Juri attributa exempla hujusmodi præceptorum; cum enim ista ab omnibus observanda dicitur homini connatum & singulorum cordibus à Naturæ conditore Deo inscriptum Lumen rationis, revera sunt Juris Naturalis: & *ll. cit.* referuntur ad jus Gentium, quod ICTi vocant Primævum Antiquum & cum humano genere proditum *l. 1. pr. ff. de Ad-*

*Adquir. rer. dom.* licet reipſa ſit Jus Naturale: & Gentium jus ideo ſolum dicitur; quòd *ed omnes gentes utantur*, ut ſe ipſum explicat Imperator §. 1. *Inſtit. de J. N. G. & C.* Suarez *cit. lib. 2. cap. 19. n. 1.* & Vallenf. *Jur. Canon. Proem. §. 5. n. 5.*

33. Secunda inter Naturale & Poſitivum Jus differentia eſt, quòd iſtud multiplex variumque ſit, pro locorum temporumque varietate: Illud autem ſive Naturale, licet pluribus præceptis etiam ipſum conſtet, vnum tamen idemque ſit in omnibus hominibus, ubique & ſemper, ex mente Ariſtotelis §. *Ethic. cap. 7.* & D. Thomæ 1. 2. q. 94. art. 4. & Imp. §. *Sed Naturalia* 11. *Inſtit. Rubr. cit.*

Neque obſtat; quòd furtum olim iniquum reputatum non fuerit apud Germanos, teſte Cæſare *Lib. 6. de Bello Gall.* & adulteria à Lycurgo permiſſa fuiſſe, perhibeat Plutarch. *in eius Vita*: quæ tamen Jure naturali vetita Alii cenſent. Non, inquam, hoc obſtat; quia, ut præmittam; quòd hæc delicta potiùs tolerata, quàm habita pro licitis & probata fuiſſe, credibile ſit, Jus Naturale, licet in actu ſecundo, ſive quoad actualem notiã particularium præceptorum aliquãter diverſum, aut non integrum in omnibus fuerit, unum tamen idemque ſemper eſt in actu primo & quoad prima & univerſaliſſima principia: quæ ex hominum cordibus aboleri & omnino ignorari non poſſe, cum laudato Doctore Angelico *art. 6.* tradit *cit.* Suarez *cap. 8. à n. 6.*

34. Tertia, quòd Jus Poſitivum ex legiſlatoris voluntate, manentibus iſdem circumſtantiis, mutari ejusque obligatio omnino tolli poſſit, *arg. c. Omnis 1. de R. I.* Contra præcepta & obligationes Juris Naturalis ex ſua natura imutabilia ſunt, non ſolum quoad prima & univerſaliſſima ejus principia, quòd bonum fa-

ciendum, à malo declinandum, proximus non lædendus ſit: ſed etiam quoad particularia & ex primis illis per evidentem diſcurſum illata: ſcilicet non blaſphemandum, non peierandum, non mentendum &c. ut ex Gentilibus Ariſtoteles *cap. 7. cit.* Cicero *de LL. lib. 1. §. 2.* agnoverunt, & poſt Imperatorem §. *Sed naturalia cit.* S. Thomas *cit. q. 94. art. 4. §. 9. 100. art. 8.* eumque ſecuti cæteri TT, magno conſenſu tradunt.

Sed, licet hæc ita ſint, contrarium 35. tamen quoad præcepta particularia ſuaderi primò occuſu videtur Authoritate ejusdem Philoſophi & Angelici Doctoris: quorum ille juſtum naturale aliquando mutationi obnoxium aſſerit *cap. 7. cit.* iſte verò, ſicut nullum in primis principiis, ſic aliquam mutationem agnoſcit, in præceptis Legis Naturalis particularibus *q. cit. art. 5.* Neque id immerito; cum Jure naturali omnes liberi naſcantur, *l. Manumiffiones 4. V. Que res. ff. de I. & I. §. Sed jus quidem 2. ad finem Inſtit. de J. N. G. & C.* & tamen ſervitus cum tempore ſit introducta: ejusque præcepta de re aliena invito dominò non retinenda, reddendo depoſito, ſecreti fide ſervanda, licitè violentur iſs caſibus, quibus res aliena eſt præſcripta, Reipublicæ damnum incurreretur depoſiti redditione, aut ſecreti violatione evitaretur: & præcepta de non occidendo vel matrimonio cum matre aut filia non contrahendo, quæ naturalia ſunt, obligare deſinant iſs caſibus, quibus ad propriam & inculpam defenſionem occiſio, aut cum matre filiaque matrimonium ad humani generis conſervationem neceſſaria forent, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. diſp. 51 n. 7.*

Sed, quamcunque veri ſpeciem hæc 36. Objectio præferat, tamen neque allegatæ iſtantiæ Jus Naturale quoad ulla, etiam particularia præcepta, obnoxium muta-

mutationi, neque assertiones illæ Philosophum aut D. Aquinatem varios sibi que contrarios esse persuadent; quia mutatio, quam isti agnoverunt, & illæ evincunt, non est circa ipsum jus Naturale aut aliquod ejus præceptum: sed solummodo circa ejus materiam sive præcepti objectum: quod cum una circumstantia conjunctum prohibetur: sine ea vel cum alia circumstantia conjunctum, permiffum illo jure semper fuit. Declaratur hoc in allatis instantiis sive exemplis; sic enim homo libertatem à natura accepit, retinendam: nisi justo bellò captus, cum posset interfici, servetur, vel nascatur ex ancilla, vel cum viginti annis major ad pretium participandum se venditari patiatur, *l. Servorum 5. §. 1. ff. de Statu hom. §. Servi 3. & 4. Instit. de Jure person.* Sic alienam rem retineri vetuit invito, & petenti domino depositum reddi & secretum servari præcepit pro circumstantiis, quibus rei illius dominium auctoritate legis per viam præscriptionis non acquisitum: vel depositi v. g. gladij restitutioni non obstaret, vel secreti manifestationem non exposceret salus Reipublicæ. Sic ejusdem juris præceptum, de non occidendo vel matrimonio cum filia aut matre non contrahendo, se nunquam extendit ad circumstantias, & casum, quò cædes fit auctoritate publica, vel ad sui vel alterius innocentis defensionem necessariam est, vel ejusmodi matrimonio impediri posset humani generis extinctio, aliàs fecutura, ut rem hanc cum *cit. Suarez cap. 13. à n. 5. & Molina cit. disp. 4. à n. 4.* explicat Pirrhing in *Jur. Canon. Proœm. §. 3. à n. 3.*

37. Neque etiam cum sic stabilita Juris Naturalis firmitate pugnat; quòd eò permittantur multa, v. g. variorum ciborum in Veteri, & in Novo Testamento carniùm comestio in Quadragesima, aut

Veneris ac Sabbathi diebus: quæ tamen; Positivo jure prohibente, permiffa esse desierunt: & Naturali jure præcepta sit observatio impletioque votorum ac juramentorum, quorum obligatio Apostolicâ dispensatione relaxatur. Non, inquam, etiam hæc cum firmitate illa pugnant; quia imprimis carniùm & similibium ciborum comestionem aliàsque actiones ex se indifferentes naturale Jus non permiffit ita, ut vetaret prohiberi: Sed ijs tantum circumstantiis permiffit, quibus Positivâ Lege, & Divinâ aut ab hac derivatâ humanâ potestate non prohiberentur; ac proinde hujusmodi prohibitione superveniente licitæ esse desinunt, salvo nullâque sui parte variatò jure Naturali. Deinde; quia humana potestas, cum votum vel juramentum relaxare videtur, sæpe solummodo declarat, eorum obligationem ex voventis intentione ad hunc vel illum casum non extendi, *Suarez cit. Lib. 2. cap. 16. n. 6.* Demum; quia cum voti & juramenti obligatio verè relaxatur, iterum obligatio non tollitur directè; ut voti vel juramenti, sive Deo simpliciter vel cum juramento factæ promissionis acceptance perseverante, ejus implendæ obligatio cesset: sed solummodo indirectè, debitum, ejusmodi promissionis erga Deum contractum, accepta ab isto potestate ejusque nomine remittendo, fere sicut in humanis rebus à supremo aliòve Officiario Regis vel Principis debita, accepta ab isto potestate ejusque nomine remitti quandoque solent: cujusmodi remissionis facta, sicut Regi & Principi, sic etiam Deo debitum cessat: etsi perseveret lex sive jus Naturale, cuique quod suum, eique debitum est, tribuendum, & vota Domino reddenda dictans, *Lefsius Lib. 2. de I. & T. cap. 14. n. 99. Suarez de Voto lib. 6. cap. 9. n. 15. & Pontius Lib. 8. de Matrim. cap. 2. n. 3.*

ARTI-

## ARTICULUS IV.

## De Jure Divino;

## SUMMARIUM.

38. Jus Poſitivum vel Divinum vel Humanum:  
 39. Inter eaque notabiles differentia ſunt.  
 40. Divinum aut Novum aut Vetus,  
 41. Veterisque triplicia ſunt præcepta:  
 42. Ex quibus Moralia etiam Chriſtiana obligant.  
 43. Judicialia & Cæremonialia mortua:  
 44. Et ex his quadam mortifera ſunt.  
 45. Nova Legis præcepta pleraque Divina:  
 46. Quædam merè Apoſtolica ſunt.  
 47. Veteris præcepta omnia.  
 48. Et ipſa etiam Repudij permiſſio Divina eſt.

38. **P**oſitivum Jus, ut n. 11. monui, partitione Theologica & ſubtilioribus etiam ICT<sup>s</sup> hodie probatâ, dividitur in Poſitivum Divinum & Humanum; repetenda enim in priori diviſionis membro eſt vox Poſitivum; ne Divinum hoc jus confundatur cum Naturali: quòd, cum à Naturæ authore Deo humanis mentibus ſit inditum, Divinum dici etiam ipſum poteſt.

Jus Poſitivum Divinum eſt, quòd à Deo rerum omnium Conditor, vel humani generis Redemptore Chriſto Domino, quatenus Deus & homo eſt, immediatè conditum, & vel ab ipſomet, vel angelorum aut hominum miniſterio promulgatum eſt. Humanum autem, quòd homines à Deo acceptâ poteſtate condiderunt ac promulgârunt: ſive, quòd obli-

gandi vim immediatè obtinet à libera voluntate hominis, publica authoritate aliquid præcipientis vel prohibentis, Molina *Tract. 1. de I. & I. D. 5. n. 2.* & Suarez *Lib. 1. de LL. cap. 3. n. 17. & 17.* à quibus utriusque conditoribus deſumitur Ratio duplicis differentia inter hæc jura intercedentis, quia illud ſive Divinû, ſaltem Novi Teſtamenti, imprimis ferè, ut Naturale, omnes: iſtud ſive Humanum Illas duntaxat gentes ſpectat & obligat, quæ ſui Conditoris poteſtati gubernativa ſive jurisdictioni Subjiciuntur, Vallens. *in Jur. Canon. Proæm. 5. 4. n. 7.* Deinde, ut cit. Suarez *lib. 9. cap. 4. n. 11.* advertit, Jus Divinum ad actus etiam merè internos extenditur; quòd ejus conditor Dominus Deus ipſorum etiam cordium & cogitationum ſcrutator ſit & iudex, *psalm. 7. v. 10.* ab humano autem directe præcipi nequeant actus interni qui cum externis non ſunt conjuncti; quòd legislatoris merè humani, ſicut cognitioni, ſic etiam poteſtati externi tantum actus ſubjiciantur, ut *Lib. 1. Tit. 2. n. 39.* ſtatueretur.

Jus Divinum rurfus aliud Vetus eſt & aliud Novum. Jus Vetus eſt, quòd Deus in Veteri Teſtamento à ſe ipſo conditum per Angelos Moysen aut Prophetas tradidit populo Judaico; ut ad finem æternæ beatitudinis, per fidem in Chriſtum obtinendæ, diſponeretur: quòd jus continet triplicis generis præcepta, Moralia, Cæremonialia, Judicialia. Moralia dicuntur, quæ directionem morum & iſtorum ſecundum rectæ rationis dictamen conformationem reformationemque ſpectant, ut ſunt præcepta Decalogi relata *Exodi cap. 20. an. 3.* Cæremonialia, quæ determinant tempus ritus & cæremonias ſive modos debitum Deo cultum exhibendi: cujuſmodi ſunt, quæ præcipiunt in *Levitico de Sacerdotibus ac*  
 Levi.



Levitis, de festivitatibus Pascha, Sabbathi, Enceniorum Azymorum &c. de sacrificiis & multiplici genere hostiarum enarrantur. Judicialia, quæ ad Politicum regimen Reipublicæ, Justitiæque administratione, tam in Criminalibus quam in Civilibus causis spectant: cujusmodi præcepta multa Exodi cap. 21. & seqq. referuntur.

- Ex præceptis istis Moralia revera  
 42. sunt præcepta sive dictamina luminis & Rationis Naturalis cum tempore, quod omnis caro corruerat viam suam, multum obscurati, & à legislatore Deo in cordibus hominum denuo excitati; & propterea vim, quam obtinuerunt in Veteri, in Novo quoque Testamento retinuerunt, & obligant etiam Christianos, quatenus sunt leges, non Testamenti Veteris, sed Juris Naturalis, istiusque claræ interpretationes, ut cum S. Thoma 1. 2. q. 98. art. 5. tradunt Covarruvias Libro 1. Var. cap. 17 n. 1. & cit. Suarez cap. 11. n. 20.
- Cæremonialia & Judicialia, opere  
 43. Redemptionis nostræ per mortem Christi consummatò, etiam ipsa mortua sunt & abrogata; *Translato enim Veteris Testamenti Sacerdotio necesse fuit, ut etiam Legis Antiquæ seu Mosaicæ translatio fieret in Novam*, prout ex S. Paulo ad Hebræos cap. 7. v. 12. refertur c. *Translatio 3. de Constitut.* Quæ causa est; cur Christianos non obligent: nisi à legislatore Ecclesiastico resuscitata vivificentur: Sicut ex Judicialibus complura suscitata aut in Nova Lege retenta fuisse, ex c. 1. de Decimis, c. 1. de Homicidio, c. 1. de Adulter. c. 1. & seqq. de Injuriis &c. constat. Imo Cæremonialia saltem præcipua, quæ ad Sacrificia, Sacramenta & Sacerdotium pertinebant, & Veteris  
 44. Legis Substantialia erant, quod Messiam primùm venturum, humani generis Redemptionem & Legem Gratiæ futuram, tanquam figuræ significent, & Christia-

næ Fidei veritati adferentur, non solum mortua sunt, sed mortifera quoque evaserunt; ut nullâ humanâ etiam Ecclesiasticâ autoritate resuscitari valeant & vivificari, ut cum cit. D. Angelico tradit Suarez cit. lib. 9. cap. 15. à n. 13.

Jus Divinum Novum est, quod Christus Dominus, Deus simul & homo in Novo Testamento condidit, & vel per seipsum vel per Apostolos promulgavit: cujus præcepta sunt de Fide Spe & Charitate, de dilectione inimicorum, de ritibus Substantialibus Sacrificij & Sacramentorum, & quæcunque ex ore Christi excepta Apostoli tradiderunt. *Accepta*, inquam, *ex ore Christi*; quia ea, quæ Apostoli ipsi, accepta à Christo potestate, tanquam Pastores & Rectores Ecclesiæ decreta reliquerunt, ut sunt Canones, qui dicuntur Apostolorum, præcepta de observanda die Dominica, de Jejunio Quadragesimali, de homicida & bigamo non ordinandis &c. ad Jus humanum Ecclesiasticum spectant, ut rectè adnotavit Molina cit. disp. 5. n. 1.

Neque obstat; quòd de homicida & bigamo non ordinandis vel non assumendis ad Episcopatum præceptum in Sacris Literis contineatur; 1. Timoth. cap. 3. v. 2. & 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse &c. Unius uxoris virum & non vinolentum, non percussorem &c.* Non, inquam, hoc obstat; quia in Actis & Epistolis Apostolorum non Domini duntaxat, sed quædam etiam ipsorum Apostolorum præcepta & consilia contineri, patet ex Actor. cap. 15. v. 29. ex illo S. Pauli, *Nam cateris ego dico, non Dominus*; 1. Corinth. cap. 7. v. 12. &c., *De Virginitate autem præceptum Domini non habeo: consilium autem do, ibid. v. 25.* Cujusmodi etiam præceptum de bigamo & homicida non ordinandis esse, desumitur ex eo: quòd in  
 Nova

Nova Lege, exceptis quæ ad Fidem & Sacramenta pertinent, non contineatur ullum præceptum Divinum, quod non etiã sit Naturale, ut cum S. Thoma 1. 2. q. 108. art. 1. Theologiçi axiomatis inſtar tradunt Covarruvias de Sponſal. p. 2. cap. 6. § 10. n. 2. & Suarez Lib. 10. de LL. cap. 2. à n. 4.

47. Dubium & controverſia eſt, an, ſicut Apoſtolica in Novi, ſic in Veteris Teſtamenti, quinque ſaltem Libris Moyſis, contentarum Legum aliquæ fuerint juſ & præcepta merè humana; id enim affirmat Canus Lib. 2. Loc. Theolog. cap. 2. & à Moyſe quædam propriò arbitriò & Authoritate ſancita, eãdemque Repudii libellum introductum, deſumit ex Verbis Chriſti ad, propoſitam de Uxoris Repudio interrogationem reponentis, *Ad duritiam cordis veſtri permixti vobis Moyſes dimittere Uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic*, Matth. cap. 19. v. 8. Quin Salmeron in Acta Apoſtol. Tract. 61. & 62. Cæremonialium & Judicialium præceptorum pleraque, & Tiraquell. de Retract. præfat. n. 10. omnia Authoritate Moſaica inſtituta exiſtimat; quòd Lex Moyſis in Sacris Litteris perſæpe nominetur, *Memento Legis Moyſis ſervi mei*, Malach. cap. 4. v. 4. Secundùm Legem Moyſi, Lucæ cap. 2. v. 22. Atque idcirco Propheta iſte Regis ſacerdotis & Legislatoris appellationibus honoretur à S. Clemente Romano Lib. 6. Conſtitut. cap. 19.

48. Sed meliùs Moyſen Veteris Legis promulgatorem duntaxat: ejus autem quoad Cæremonialia etiam & Judicialia præcepta quæcunque, conditorem Dominum Deum fuiſſe, tanquam rem Fidei Veritati propinquam, cum S. Thoma 1. 12. q. 98. an. 2. defendunt Maldonat. in Matth. cap. 19. cit. Suarez Lib. 9. cap. 2. n. 7. & 10. Bellarmin. Lib. 1. de Verbo Dei Scripto cap. 5. & præcipui nominis TT.

plerique. Et Legem illam quidem per Moyſen promulgatam, omnino exploratum & expreſſum eſt Joan. cap. 1. v. 17. *Lex per Moyſen data eſt*. Ejus autem conditorem Dominum Deum fuiſſe, non minùs clarè proditum eſt Exodi cap. 20. v. 22. Ubi relatis præceptis Moralibus ſubjungitur, *Dixit præterea Dominus ad Moyſen, hæc dices filijs Iſrael, Altare de terra facietis &c.* Levitici cap. 1. pr. *Vocavit Moyſen & locutus eſt ei Dominus dicens, Loquere filijs Iſrael & dices ad eos: quæ verba præceptorum Cæremonialium enarrationi toto Libro ſæpe præmittuntur.* Similiter Numer. cap. 1. v. 7. id clarè exprimitur verbis, *Locus eſt Moyſes ad Filios Iſrael omnia, quæ præceperat ei Dominus &c.* Unde Regius Vates Beatos pronuntiat, *qui ambulant in Lege Domini* per Moyſen propoſita, Pſalm 118. v. 1. & Servator noſter Phariſæis & Scribis Moſaica legis tranſgreſſionem exprobrans, *Irritum*, inquiebat, *feciſtis mandatum Dei*, Marci cap. 7. v. 9. Quare Moyſes Legislatoris appellatione & Lex Vetus Moſaica nomen ab iſtius à Domino Deo condita promulgatione, non inſtitutione accepit.

Neque hac in re cum Cano l. cit. excipiendus eſt Libellus Repudii; quia iſ quoque Divinã, non propriã ſuã authoritate à Moyſe permiſſus fuit; cùm enim legis Divinæ, quã nuptiali vinculo inſolubilitas in ipſo naſcentis mundi exordio & voluptatis adhuc innocentis Paradifo collata erat, Genef. cap. 2. v. 24. & c. Unic. de Voto in 6. Relaxatio per viam diſpenſationis Moſaicã & quavis authoritate humanã altiorem exiget poteſtatem, juxta illud, *Quos Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. cap. 19. v. 6. uxoris repudium àlia quàm Divina authoritate non potuit perſeſſi, Suarez

cit. cap. 2. n. 15.

C

ARTI-

ARTICULUS. V.  
De Jure Gentium,

## SUMMARIUM.

49. Jus Humanum aliud Scriptum, aliud non Scriptum:  
50. Et rursum aliud Gentium, aliud Civile & aliud Canonicum est.  
51. Gentium Jus ex toto humanum esse Aliqui negant:  
52. Melius Alij affirmant.  
53. Homo sub diversa consideratione diversis Juribus subest.  
54. Jus Gentium populorum non oritur & usu.  
55. Proprie cum mutua inter illos obligatione:  
56. Improprie dictum sine tali obligatione, est introductum.  
57. Ejus objectum non est intrinsece bonum malumve.  
58. Idem Jus non connotatum homini,  
59. Neque immutabile est.  
60. Difficilius tamen proprie quam impro-  
prie dictum mutatur.

49. Jus Positivum Humanum bifariam dividitur: Primò in Scriptum & non scriptum: quorum illud legibus, hoc moribus constare dicitur *can. Jus Generale 2. disp. 1. & can. Ecclesiasticarum 5. disp. 11.* Scriptum enim jus est, quod publica auctoritate ejus, qui Legum ferendarum potestatem habet, mandatum: conditum & literis est mandatū: ad quod pertinent quæcunq; Canonib<sup>9</sup> Apostolicis, concordibus SS. PP. sententiis, decretis Conciliorum, Constitutionibus summorum Principum Ecclesiasticæ & Sæcularis Reipublicæ, & his inferiorum Le-

gislatorum Statutis sancita tradita & promulgata sunt. Non scriptum autem, quod, ut dictum, usu & moribus introductum & approbatum est, *can. Ecclesiasticarum cit.* ut sunt Consuetudines tam Ecclesiasticæ quàm sæculares: cujus Juris Utriusque ampliolem explicationem dabimus *Lib. 1. Scripti quidem Tit. 2. non scripti autem Tit. 4.*

Secundò idem jus Humanum in Jus Gentium Civile & Canonicum dividitur à Lessio *Lib. 2. de J. & J. cap. 2. n. 9.* Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 3. n. 5.* alijsque TT. modernis juxta dicta n. 12. 50.

Hæc tamen Humani Juris partitio non omnibus probatur; fuere enim, & hodie quoque sunt DD. qui Gentium Jus non ex toto Humanum: sed ex parte sive quoad quædam ejus præcepta jus Humanò & Positivò quocunq; altius, à Naturali tamen distinctum, existiment. Quænam autem hujusmodi Positivò altioris, non tamen ipsius Naturalis Juris præcepta sint, non convenit inter ipsos; quidam enim ad Naturale ea tantum præcepta referunt, quæ vel per se, immediatè & sine ullo, aut facillimò discursu innotescent: ad Gentium autem Jus pertinere ajunt, quæ ex primis ac per se notis principiis seu præceptis moralibus discursu minus facili aut multiplici deductione inferuntur. Alii verò Naturalis, sicut prima & per se nota generalisquæ, sic etiam ex particularib<sup>9</sup> & per discursū deductis moralibus præceptis attribuunt, quæcunq; societatem, commercium & conventionem humanam non supponunt. Ea verò, quorum absoluta obligatio hujusmodi Societatem, commercium & conventionem supponunt, in Gentium Jus refundunt. 51.

Sed utrovis modò intelligatur, hanc Gentium juris explicationem & à Naturali differentiam non obscure Covarruvias in *Reg. Peccatum p. 2. §. 11. n. 4. §. Quibus &*

bus & apertè meritoque rejiciunt Suarez *Lib. 2. de LL. cap. 17. à n. 8.* & Salas *disp. 5. de LL. n. 19.* Ratio eſt; quia, ſicut prima & per ſe nota, ſic ex iſtis per evidentem diſcurſum deducta & neceſſariò illata præcepta moralia planè omnia veri & propriè dicti naturalis Juris dictamina eſſe *n. 31.* jam oſtenſum, & exploratum inde eſt; quòd etiam hiſ præcepta vel prohibita, propter bonitatem & malitiam intrinſecam faciendâ vel omittendâ dicteſ humano generi connatum & omnium cordibus inſitum lumen Rationis; diſcurſus autem non variet ipſum jus, ſed ſolummodo prima & generalia principia moralia explicet, & quænam particularia præcepta illis comprehendantur, manifeſtet. Accedit; quòd non furandi, parendi domino, implendi contractus, ſimplicem & juratam promiſſionem obſervandi, non vendendi rem conſecratam & ſimilia præcepta abſolutam obligationem non inducant, niſi rerum diſiſione ac dominiò, ſervitute, commercio, promiſſione, juramentò, conſecratione &c. ſuppoſitis; & tamen hæc & ſimilia præcepta indubitatè ſint juris naturalis; cùm, omni alio jure ſecluſo, ea obſervanda dicteſ ipſum lumen & Ratio Naturalis, ut rectè arguit *cit. Suarez. n. 9.*

Quare propriè dictum Gentium jus merè Poſitivum & Humanum eſſe, ſecum *D. Thoma 1. 2. q. 95. art. 4.* Humanum in Gentium & Civile jus partiente, *Covarruvia cit. n. 4.* & alijs rectè defendunt *cit. Molina n. 5. Suarez cap. 19. n. 3. Salas diſp. 2. n. 21. & Gonzalez in Apparar. n. 17. & 19.* cùm enim jus, quod ipſa ratio naturalis inter homines conſtituit, & Juſtinianus Gentium ſimpliciter *ſ. Inſtit. de J. N. G. & G.* Interpretes verò *Præmarium* vel *Præmævum* dicunt, Gentium minùs propriè; verè

autem & propriè Naturale jus eſſe oſtenſum jam ſit, verum ac propriè dictum Gentium jus merè Poſitivum & Humanum erit, ut magis eluceſcet ex ejus notatione, & præſertim definitione; Gentium enim jus à *Gentibus* ſic dicitur, quòd eò omnes fere gentes utantur, *ſ. cit. & can. Jus Gentium 9. diſt. 1.* eſtque, quod exigentibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuadentibus uſu & moribus omnium, aut fere omnium Gentium eſt introductum, *ſ. Jus Gentium 2. Inſtit. Rubr. cit.* neque enim hoc Jus ab initio humano generi congenitum, & ab ipſa natura ſingulorum cordibus inſcriptum; ſed poſtea, & homine jam conditò ad humanarum ſocietatum tranquillitatem vitæque & commerciorum compendia promovenda ſtabiliendaque introductum eſt voluntate & conſenſu populorum: non quidem expreſſò, & ſcripti Juris inſtar publicè promulgatò: ſed tacitò &, ad non ſcripti ſeu Conſuetudinarii juris modum, communi omnium aut fere omnium populorum uſu & moribus manifeſtatò.

Confirmat iſta & ad propoſiti Gentium Juris propriè dicti veram explicationem viam ſternit triplex hominum conſideratio. Primò enim conſiderari homines poſſunt, quatenus ſunt creaturæ præditæ uſu rationis: quomodo conſiderati Jure Naturali reguntur & diriguntur ad vitanda ea, quæ rationali creaturæ diſſentanea: & ad ea, quæ huic conſentanea ſeu convenientia ſunt, præſtanda.

Secundò, quatenus ſunt cives ſeu membra certi alicujus Principatùs vel Reipublicæ, & ad iſtius commune bonum ac felicitatem conſervandam promovendamque coaluerunt: quò modò conſiderati homines Civili cujuſque Principatùs aut Reipublicæ particularis Jure reguntur & diſponuntur ad ea, quæ pertinent

C 2 ad com-

ad commune bonum ac felicitatem Principatus vel Reipublicae particularis, cujus cives & membra sunt.

Tertio, quatenus sunt cives seu membra totius communitatis humanae, ex omnibus populis & Gentibus constituta; quia homines, quantumvis in varios populos, Principatus ac Respublicas divisi totaque terrarum orbe sparsi sint, semper tamen retinent aliquam unitatem, non solum specificam, fundatam in similitudine naturae: sed moralem quoque & quasi Politicam, fundatam in praecipuo mutui amoris & opitulationis, poscentis; ut cum nulla gens seu populus ita sibi sufficiat, ut ad perfectam felicitatem alterius auxilio non egeat, mutua communicatione communis omnium felicitas conservetur ac promoveatur. Et hoc modo considerati homines Juri Gentium subsunt, eoque diriguntur ad ea, quae pertinent ad populorum ac nationum omnium, sive totius humanae communitatis bonum ac felicitatem. Unde

§4. Postremo hoc modo consideratis hominibus accommodatum Jus Gentium est: quod non a Naturae conditae initio vel solo rationis lumine humanis mentibus insitum, sed postea & successu temporis, exigentibus humanis seu communibus necessitatibus & utilitatibus suadentibus, usu & moribus omnium aut ferè omnium gentium bene institutarum est introductum, *V. Jus autem Gentium cit. Gonzalez n. 17, cit.* Potest autem aliquid duplici modo Gentium usu & moribus introductum ac receptum esse.

§5. Uno cum mutua obligatione vel jure, ut scilicet id ob communem omnium Gentium utilitatem inter se sive ipsas gentes observandi sive faciendi omitteatur, ex tacito omnium consensu orta mutua obligatio aut facultas sit. Cujusmodi & propriissime dicti Gentium

Juris exempla sunt, Admissio legatorum sub lege publicae immunitatis ac securitatis. Jus Belli imprimis, quoad potestatem, Principibus ac Rebus publicis superiorem non recognoscentibus competentem, ad vindicandam reparandamque injuriam vel damnum, ab alio populo vel Republica sibi illatum: Dein, quoad modum id indicendi per faciales: & quoad ejus prosecutionem; ne fontes & belli instrumenta veneno inficiantur, aut per submissos sicarios hostis occidatur: Demum, quoad effectum occupationis & acquisitionis domini rerum bello captarum & occupatarum, & impunitatis invasionis ac caedum, quominus tanquam praedo aut homicida quis valeat puniri. Foedera Pacis & induciarum, quoad eorum admissionem, cum rationabiliter & debito modo petuntur & ineuntur. Servitus seu facultas liberis hominibus, justo bello captis ac servatis, pro servis utendi. Jus commercii sive libertas commercia apud exteras & non hostiles gentes quaestus causa exercendi, nummum pro merce, aut rem pro re exhibendo. Jus sepulturae, seu defuncto superhumandum seu terrae, è qua ortum est, reddendo & similia, quae cum Natura nec praecipit, nec prohibuit, Gentium pene omnium usu & moribus, propter communem omnium seu totius communitatis humanae utilitatem, cum mutua obligatione introducta sunt & recepta.

Altero, sine mutua obligatione, §6. quin scilicet id, quod ob singularum Gentium utilitatem particularem intra quemvis Principatum aut Rempublicam, sive à civibus eam constitutentibus observatur, inter gentes, sive ab earum una erga alteram observandi seu faciendi omitteatur obligatio detur. Cujusmodi Gentium improprie dicti (proprie & re-  
ipso

ipsa Civilis, apud omnes Gentes recepti ) Juris exempla sunt, determinatus modus Deo ( jure Naturali debitum ) cultum exhibendi per Sacrificia, institutio certi status hominum ad ea Deo offerenda, usus panis pro cibo, constructio ædium, munitio civitatum, divisio rerum, jus postliminii, contractus non pauci & alia quædam, omnium fere gentium usu introducta ob particularem singularum utilitatem: quam, & non communem totius gentium collectionis sive communitatis humanæ felicitatem pro sine habent, Suarez *cit. cap. 19. à n. 8.*

Neque cum ista Juris Gentium declaratione pugnat; quod Religio in Deum, custodia foederum, pactioinum & contractuum impletio Jure Naturali præceptorum exemplis adnumerata sint *n. 15.* quia hoc non impedit, quò minus etiam Gentium aut aliò jure regulentur; cum diversimodè considerata eadem res diverso juri subternatur; quia imprimis Naturale Jus, licet Deum colere præcipiat, ritum tamen modumque cultus non determinat, ac proinde ejus determinationem certæque hominum fortis ad eum deputationem Gentium aut alteri Juri reliquit. Deinde, foedera Juris Gentium solummodo sunt quoad petitionem & justè petitorum admissionem: non etiam quoad obligationem ea, postquam inter gentes inita sunt, custodiendi; cum ista pactioinesque & contractus legitimè celebratos implendi obligatio inducta sit Jure Naturali, fidem datam servari præcipienti: forma autem sive contractus ineundi modi ferè inventi ac præscripti sint Jure Civili proprio cujusque gentis, ut eruditè notat *cit. Suarez n. 7.*

57. Quare jus Gentium, licet Naturali rationi conforme sit, & veri Juris Naturalis instar homines duntaxat, non etiam bruta animantia afficiat, ab isto tamen

Jure variè: & imprimis quidem differt, quòd Gentium jure præcepta aut prohibita, bona malæ, honesta aut inhonestæ non sint ex sua Natura: sed talia evaserint gentium consensu, non expressò verbis aut per edictum promulgatò: sed tacitò, sive earum moribus & usu insinuatò. Dein; quòd non congenitum homini, neque ab ipso humani generis conditi principio, sed postea exigentibus humanis necessitatibus aut utilitatibus suadentibus ceptum sit introduci, & successu temporis perfectum, §. *Sed Jus 2 58.* V. *Jus autem Gentium Instit. de J. N. G. &c.* minusque latè pateat, quàm Naturale; cum non omnino, sed ferè omnium Gentium usu sit receptum: & hodie non omnes gentes notæ, atque ex notis non apud omnes omnia ejus, & Sacramenta quoque legatorum Jura recepta, Historiæ conditorum monumentis doceamur. Demum; quia non, ut Naturale, sic & Gentium jus necessarium & immutabile; sed contingens est & obnoxium mutationi, sicut ipsæ necessitates & utilitates, quibus poscentibus aut suadentibus est introductum, Mutationis certè non desiderantur exempla; cum Christiani justò bellò capti Christianorum servi hodiè non efficiantur: & à Religiosis bona possideantur in communi, *cit. Covarruvias §. 11. n. 6. Suarez cap. 19. n. 1. Molina disp. 5. n. 4. & Gonzalez n. 17.*

60. Quoad hanc tamen mutationem latum discrimen intercedit inter jus Gentium propriè & impropriè dictum; cum enim hoc, licet apud gentes penè omnes vigeat, sine mutua tamen earum obligatione & non ob communem omnium, sed ob particularis cujusque gentis utilitatem introductum sit, cujusvis Gentis non usu, usive contrariò, imò lege etiam publicatà mutari potest & abrogari; quia sic mutari & abrogari potest cujusvis gentis Jus

is Jus Civile: hujus rationem habere & portionem quandam esse Jus Gentium improprie dictum, jam est insinuatū. Non ita expedita proprie dicti Gentium juris mutatio est; cum enim id, licet contingens proindeque mutabile sit, tamen ob communem utilitatem Gentium penē omnium, earumque mutuō consensu & cum obligatione mutua receptum sit, ejus justa mutatio earundem Gentium consensum exigit *arg. c. 1. de R. I.* Nisi forte populus, Gentium juris præceptum aliquod sibi noxium advertens, id non usu, usive contrariō, aut Lege etiam publicata tolleret, & gentes cæteras crederet non esse invitatas, *cit. Suarez cap. 20. n. 8. & 9.*

## ARTICULUS. VI.

## De Jure Civili.

## SUMMARIUM.

61. *Istius Natura,*
62. *Et differentia à Jure Gentium.*
63. *Jus Civile vel Commune est vel Particulare.*
64. *Ortus & occasus Legum Regiarum,*
65. *Origo LL. XII. Tabularum,*
66. *Isque Superadditorum Juris aliorū.*
67. *Modernum Jus Romanum continet Pandectas,*
68. *Institutiones Imperiales,*
69. *Codicem Repetitā prælectionis,*
70. *Et Novellas Justinianæas.*
71. *De Authenticis Codici insertis*
72. *Novelle aliquando derogant Juri Anteriori,*
73. *Et verisimiliter etiam Codex Pandectis & Institutionibus.*
74. *De Edictis & alijs Constitutionibus Justiniani Sc.*

75. *Et Novellis Imp. Leonis.*
76. *De Consuetudinibus Feudalibus,*
77. *Et varijs Constitutionibus Imp. Romano-Germanorum.*
78. *De Pace Religiosa & Pacificatione Monasteriensis;*

**J**us Civile est, quod quisque populus, vel quæque civitas sibi proprium constituit, §. 1. *Instit. de J. N. G. & C. l. Omnes populi 9. ff. de I. & L. & can. Jus Civile 8. dist. 1.* sive, quod Principis aut alterius Magistratus Secularis autoritate conditum & promulgatum est, ad totius Reipublicæ rectam gubernationem, ad pacem & temporalem felicitatem salutemque civium conservandam & promovendam. Ita ad mentem Suarez *Lib. 3. de LL. cap. 11. Pirrhing in Decretal. Proem. n. 13. §. Jus Positivum: cujusmodi Jus, etsi Atheniensium & Lacedæmoniorum, Longobardorum, Francorum, aliorumque Populorum, Rerum publicarum & Civitatum propriae Leges sint, modernō tamen usu & per Antonomasiam Civilis nomine venit Jus Romanorum: quod, licet Gentium Juris instar Positivum merēque humanum sit, ab isto tamen differt Origine, Extensione, Firmitate; quia imprimis Gentium jus totum moribus & usu introductum receptumve est: Civile autem majorem sui partem legibus constat. Deinde, illud omnes aut ferē omnes obligat: hoc autem eum duntaxat populum vel civitatem, qui subiectus est jurisdictioni conditoris. Demum Gentium Jus vicinius Naturali, sanctiusque & mutationi minus obnoxium est, quàm Civile, Suarez *Lib. 2. de LL. cap. 19. à n. 5. Valens, Jur. Canon. Proem. §. 6. n. 2. & Gonzalez Appar. Jur. Canon. n. 19.**

Est au-

63. Est autem Civile jus vel Commune vel Particulare. Commune Jus Romanum est, cujus legibus Romani Imperii Provinciae, Civitates, cives & subditi omnes conſtringuntur. Particulare seu Provinciale & Municipale, quod non omnes, sed unius duntaxat Provinciae vel Civitatis Imperialis Subditos obligat, ut Jus Aſtriacum, Bavaricum, Saxonicum, Tirolenſe &c.

64. Jus Civile Romanum Romae conditae non coævum; sed temporum ſucceſſu conditum perfectumque fuit. Initiò enim Populus Romanus à Romulo Urbis conditore & primo Rege ſuo pro arbitrio ſine lege gubernabatur, l. *Necceſſarium* 2. §. 1. ff. de Orig. Jur.

Aucta dein Civitate ab ipſo Romulo condicere Leges: quas à Numa Pompilio & Regni Romani Succeſſoribus cæteris auctas Sextus Papirius I C T u s collegit in volumen. Jus Civile Papirianum à compilatore ſuo nuncupatum. Ejus tamen obſervantia non diu viguit; Tarquiniò namque Superbò, ſeptimò ac poſtremò Romanorum Rege, cum ob exercitam tyrannidem, tum ob Lucretiam, matronam honeſtiſſimam ab ejus Filio vi oppreſſam, Urbe exactò, cum Regia poteſtate leges quoque Regiae Lege Tribunitia exolevere, l. *civ.* §. 2. & 3.

65. Cum autem incertò Jure & conſuetudine, quò poſtea Romanus Populus utebatur, publica tranquillitas conſiſtere diu non poſſet, per decem viros auctoritate publica conſtitutos & *can. ſin. diſt.* 7. nominatim relatos à Civitatibus Græcis, maximè Athenienſiũ ac Lacædemoniorũ (optimè tunc conſtitutis) petita ac relata ſunt Leges decem tabulis æneis incisa: ad quas poſtea aliæ, duabus pariter æneis tabulis inſcriptæ, acceſſerunt, l. *civ.* §. 4. Unde ortæ ac nominatæ ſunt Leges, quæ modo Decem virales, modò XII. Tabularũ

promiſcùe dicebantur, Mynſinger ad §. 10. *Inſtit. de J. N. G. & C. n. 6.*

His legibus ſic conſtitutis & Populo propoſitis, ut aliis aliisque & sæpe novis caſibus emergentibus in communitate ſolet, alia aliæque, & pro ſtatùs, rerum, temporũque varietate varia jura ſuperaddita ſunt; nimirum Leges, Plebiſcита, Senatus conſulta, Magiſtratuũ ſeu Prætorum Ediçta, Principum placita & Reſponſa Prudentũ, §. *Conſtat.* 3. *Inſtit. ibidem* §. 1. *Jus. autem Civile* 7. ff. de I. & I. Leges, licet aliàs commune præceptum quodcunque, l. 1. ff. de LL. apud Romanos tamen dicebantur, quæ Populus ſive Univerſi cives, Patriciis ac Senatoribus communitatis, Senatoriò Magiſtratu, veluti Conſule: Plebiſcита verò, quæ plebs (ſine Senatoribus ac Patriciis) plebejo Magiſtratu, veluti Tribuno, interrogantibus conſtituebant. §. *Lex* 4. Senatus conſulta, quæ juſſit atque conſtituit Senatus, ad quã auctò in imenſum populò Reipublicæ curam neceſſitas deduxit, §. *Senatus conſultum* 5. Principum placita ſunt, quæ ſolus Princeps vel per epiſtolã vel per ſententiã vel per edicũm juſſit aut conſtituit generatim, ſive Conſtitutiones ejus generales, §. *ſed & quod* 6. Prætorum Ediçta, ſententiæ, ac mandata publica à Magiſtratus, penes quos erat juridiçtio, ut Prætores & Ediles erant, lata: quæ initiò, perinde ut officium, fuere annua & cum illo finita: poſtea perpetua evaſerunt, §. *Prætorum* 7. Reſponſa prudentum ſunt Sententiæ & Opiniones eorum, quibus conſultis ac rogatis de Jure reſpondendi jus à Principe permiſſum erat §. *Reſponſa* 8. *Inſtit. de I. N. G. & C.* ad quos §§. & l. *Necceſſarium* *civ.* ſingula hæc jura accuratè diſcuſſa Interpp. dabunt.

Ex harum ſex Specierum & LL. XII. 67. Tab. ſelectis juribus collectum Imperii Romani Jus commune Scriptum, quatuor



tuor, scilicet Pandectarum, Institutionum Codicis & Novellarum voluminibus, Corpore Juris clausis continetur

Pandectæ à Græco nomine πᾶν vel πάντων Omnia & verbo ἵκεν Complecti denotantib⁹, sic nominantur, quod VV. Jurisconsultorū Responsa, quæ pro jure custodiri Justinianus Imp. voluit, §. Responsa cit. omnia in quinquaginta Libros Clarissimorum Virorum Triboniani, Constantini. Theophili, Dorothei & aliorum, l. Tanta 2. §. 9. C. de Vet. Jur. enucl. nominatim relatorum, operâ ordinata, digesta & 17. Calend. Januarii Dominicæ Incarnationis Anno 533. vulgata contineant. Ab ea digestionē Pandectæ obtinuisse videntur nomen Digestorum: & cum allegantur, denotari solent signō ff. cujus usus origo refunditur in incitiam vel incuriam libroriorum, initiali Pandectarum litera π antè usitata ff. sufficientium. Huic autem Signo in Pandectarum allegationibus præmitti Legis initium (aliquando adjecto, aliquando omisso legis numerò, aliquando hoc Solò expressò) & subijci solet Rubrica seu Titulus, cui Lex est subiecta, vg. l. Jus publicum 38. ff. de Pactis. aut solummodo l. Jus publicum vel. l. 38. ff. de Pactis. Cum autem lex in paragraphos divisa est, ejus Principium vel §. & Versus quoque exprimitur. vg. l. Juris Gentium 7. pr. vel §. 8. v. In rem. ff. de Pactis.

Institutiones complectuntur totius 68. Legitimæ scientiæ prima elementa, quæ Triboniani, Dorothei & Theophili ante Laudatorum ICTORUM operâ ex variis Antiquorum Institutionibus, & præcipuè ex Caij Commentariis composita idem Justinianus in quatuor Libros partiri jussit: iisque à semet lectis recognitisque Imperialium Constitutionum plenissimum robur accommodavit 11. Calend. Decemb. Anno 533. ac proinde viginti

quinque diebus ante Pandectas: licet ista absoluta jam essent, antequam Institutionum compositio susciperetur, ut colligitur ex L. Tanta cit. §. 11. §. Igitur 4. §. fin. Instit. Proem. Unde quis jure admiretur, à Wilsenbach. disp. 1. ad Instit. n. 8, discrimen statui inter textus Institutionum, & Juris auctoritatem jis duntaxat adstrui, qui Pandectis & Codici respondent: non etiam aliis compluribus, quorum similes duobus his Voluminibus non pauci reperiuntur. Hoc certè discrimen Interpp. ac DD. alii non non agnoscent, & apertissime convellit Imperator, Constitutionis plenissimum robur Institutionibus, sine ullo inter sententias discrimine, accommodando, §. Quare in omnibus 6. Proem. cit. Allegantur Institutiones expressâ unâ vel duabus syllabis initialibus: quibus subijcitur Rubrica, & præponitur principium vel paragraphi & versus prima verba, cum vel sine numero, vel isto sine verbis illis expressò, pr. Inst. de Patria potest. §. Inter eas 2. V. Et ideo Instit. de Nuptiis.

Codex, Juris Imperialis Corpore 69. clausus, non est primæ Lectionis, quem Justinianus ex trium anteriorum Gregoriani Hermogeniani ac Theodosiani Codicum voluminibus depromptis, & à Theodosio istiusque successoribus deinceps factis Constitutionibus, quæ sui temporis usui opportuna videbantur, concinnatum à suo nomine Justinianum dixit, Pandectisque & Institutionibus præmisit, §. Et cum 2. Instit. Proem. Sed secundæ, quem laudatus Imperator post volumina illa jam edita, detractis ex priori nonnullis, & additis novis suisque Constitutionibus, adjectis etiam quinquaginta Decisionibus auctum, atque in XII. Libros divisum Codicis limati, emendasque & Repetite Praelectionis nomine vulgavit 16. Calend. Decemb. Anno Christi 534. ut vi.

ut videre eſt *l. Unic. §. 3. 4. & ſm. C. de Emendar. Cod.* Exprimi, cum citatur, Codex plerumque ſolet literâ initiali C. &, ſicut ſigno ff. in Pandectarum, ſic & in ejus allegationibus literâ C. præmitti lex, iſtjuſque paragraphus & ſubiici Rubrica, v. g. *l. Rem non novam 14. pr. C. de Judiciis l. Scimus 36. §. 2. V. Sancimus C. de Inoffic. teſtam.*

70. Novellæ Juſtiniæ alio nomine Authenticæ, & Jus Noviffimum vocantur; ſuntque volumen *Νεωτάτων* ſeu novarum Juſtiani Imp. Constitutionum, ab eo poſt Repetitæ prælectionis Codicem jam editum, pro cauſarum emergentium varietate, eò, quò referuntur ordine, ab anno Imperii ſui 8. uſque ad 38. ejusdem, Chriſti 565. & vitæ extremum, conditarum & promulgatarum, Contius *Præfat. ad Novell. poſt pr. Allegatio Novellarum* Vetus erat *Aub. de Hæred. ab inteſt. venient. Collat. 9. Tit. 1. cap. 2.* moderna & multò expeditior, *Novell. 118. cap. 2. V. Si autem.*

71. Caterùm, licet Novellæ, etiam Authenticæ nuncupentur, uſu tamen modernò hæc diſtingui à Novellis, & iſtarum propoſitæ Constitutiones integræ: Authenticarum autem nomine exaudiri ſolent earundem & Friderici Imp. aliquot Constitutionum compendia, ab Irnerio ICT<sup>o</sup> Italo, qui claruit Anno 1137, confecta & Codici inserta: quibus Juris authoritatè ſolùm tribuimus, quatenus ſenſum referunt Originalis ſive Novellarum, unde ſummatim ſunt tranſumpta, *arg. l. Quicumque 2. ff. & c. 1. de Fide inſtrument.* cum exploratum ſit, Juris authoritatem eis impendi ab Irnerio, tanquã privato, non potuiſſe, ut præter alios obſervat Prænotabilis & Magnificus Collega D. Georg. à Widmont, in *Pandect. Prelim. Reſol. n. 40.*

De relatorum Juſtiniæ Juris voluminum legibus ac textibus alijs exploratum illud eſt; quòd, ubi idonea concilia-

tionè ab antinomia vindicari non poſſunt, prioribus derogent poſteriores, *l. Sed & poſteriores 28. ff. de LL.*

An autem in iis extent, qui à vitio illo commoda interpretatione excuſari nequeunt, in dubium & quæſtionem vocant DD. Non quidem, ſi textus voluminum priorum cum Novellarum diſpoſitionibus conferantur; cum hiſ ab illorum Jure non rarò receptum, nemo facile inficietur: idque perſpicuum ſit ex *Novellis 1. 4. 18. 118. &c.* quarum pulcherrimis Sanctionibus abſtruſa Antiqui Juris myſteria ſublata ſunt & Juris prudentia multis ambagibus liberata. Sed, ſi Repetitæ prælectionis Codex & Inſtitutiones Pandectæque, aut hæc inter ſe committantur; ſunt enim, qui tres hæc Juris partes ab omni contrarietate abſolvant: & in ſpeciem, ut ajunt, pugnantes ſententias in concordiam reducere magnò &, ut exiſtimant, non infelici conatu nitantur. Pro ipſis certè apertè facit Juſtinianus, nihil alijs legibus contrarium in Codice inveniri aſſerens *l. 1. §. 8. l. Tanta 2. §. 15. & l. ſm. §. 15. C. de Vet. jur. enuel.* Sunt & alii, qui hiſ textibus nihil moti, non ſolùm prioris editionis ſeu compoſitionis deciſiones quandoque à Codice deſſidere & corrigi velint: ſed iſtius quoque voluminis textus omnes aptæ expoſitionis auxiliò conciliari poſſe diſſidant; ſic enim in ipſo Codice emendato abrogari corrigique & leges legibus reſigi contendunt, & varijs exemplis RR. Codicis Juſtiniæ Interpretes oſtendunt, & ſuo huic ſenſui *§. cit.* textus opponen-<sup>9</sup> reponunt, à Juſtiniano quidè Triboniano ejuſque in Repetitæ prælectionis Codice adornando adjuutoribus, in mandatis datum, ut leges abrogatas tollerent, & omnem contrarietatem abolerent: Sed hujus mandati partes non uſquequaque fuiſſe, impletas; quia facile, *Atque*

D

ope-

- opere in magno fas est, obrepere somnum.*  
 Juris Communis Corpore etiam  
 74. clausa sunt Edicta XIII. à Justiniano, necessitate exigente, proprio motu promulgata; & quædam aliæ ejusdem, uti & Justiniani Augusti, filij ipsius adoptivi, & Tiberii Imp. Novellæ Constitutiones: quibus à Conditioribus suis collata Juris Autoritas Occidentalibus provinciis minus quàm Orientalibus, & magis prisco illi quàm moderno ævo & statui rerum præsentis est accommodata adeo, ut Edicta illa Juris Imperialis editionibus non omnibus inserta reperiantur.
- Eodem Juris Corpore clauduntur  
 75. Novellæ Constitutiones Imp. Leonis: quæ tamen Justiniano Juri, ubi adversantur, derogandi vim non habent: & quod Occidente ab Orientis Imperio avulsò, & Arnulphò in illo jam imperante, publicatæ sint, Authentici Juris plenam vim in Occidente non obtinuerunt, & alicubi non merentur, ut eruditè ostendit laudatus D. Collega *Pralim. Resol. n. 54.* Deferri tamen illis quandoque solet, cum Justiniano Juri non contradicunt, ut *Novell. 77. Novell. 102.* & duabus sequentibus, apud eundem *n. 57.* aut isti contrariis moribus & Juri Divino magis sunt conformes, ut *Novell. 18.*
- Ejusdem vulgatis editionibus insertæ sunt Consuetudines Feudales sive Libri Feudorum, partim ex Constitutionibus Imp. qui post Justinum in Occidente regnarunt, ut Conradi II. Henrici II. Lotharii III. Friderici I. &c. partim ex Consuetudinibus, à Gerardo Nigro & Oberto de Orto, Consulib<sup>9</sup> Mediolanensib<sup>9</sup>, collecti & sine ulla methodo temere, ut menti occurrerunt, in scriptum redacti, Corvinus de *Jure Feud. Lib. 1. Tit. 1. §. Juris.* De eorum autoritate DD. variè. Verius sentiunt illi, qui licet iis relatis Imperialium Constitutionum fragmentis ex sua
- 76.

editione autoritatem Juris competere: eandemque vim ab immemoriali usu Consuetudinariis capitibus accessisse, facile concedant cum *Zaxio Epitom. Feud. pr. n. 3. Claro §. Feudum q. 3. n. 1. & Fachineo Controvers. Lib. 7. cap. 2.* non parùm tamen, nec immeritò ambigunt de textibus, post *Lib. 2. Tit. 58. usque ad Lib. V.* relatis; quòd adjecti sint à Cujacio & aliis ICT<sup>is</sup> Papiensibus, Juris condendi carentibus potestate. Vnde his autoritatem Juris sine injuria quis neget: Nisi, quemadmodum antè relata Consuetudines, sic etiam ipsi Curiarum & Scholarum usu sint recepti.

Præter relata & Juris Corpore clausa volumina vel Constitutiones, explorati & perpetui Juris vim in Imperio Romano-Germanico hodie obtinent Aurea Bulla, ab appenso sigillo aureo nomen hoc sortita, & de Electione Imperatoris, Principum Electorum officii juribus ac Prærogativis & quibusdam aliis negotiis à Carolo IV. cum Imperii Ordinum seu Statuum consensu promulgata Norimbergæ Anno à Christo nato 1356. Edictum seu Constitutio de Pace publica, à Maximiliano I. promulgata Wormatiæ Anno 1495. & deinceps ab Imp. aliis, ad Imperii tranquillitatem magis stabilendam, cum saluberrimarum Ordinationum auctario, pluries repetita, teste *Gaill. Lib. 1. de Pace publ. cap. 1. n. 2.* Ordinatio Judiciæ Cameræ Imperialis, edita ab eodem Anno 1495. & à Carolo V. renovata anno 1584. Ordinatio Judiciæ Aulico-Imperialis novissimè edita Anno 1654, & variæ Ordinationes aliæ, Imperii rectam gubernationem & communem felicitatem spectantes, atque ab Imp. & Statibus, ferè sub Comitiorum solutionem & illorum discessum editæ; quas ideo fortassis Recessus Imperii nuncupant. Constitutiones Criminales, vulgò dicitur

77.

gò die Meynlihe Hals- Gerichts- Ordnung de modo procedendi in iudiciis publicis & plerorùmque Criminum pœnis, à Carolo V. & Imperii Ordinibus in Comitibus Auguſtanis & Ratisbonenſibus promulgatæ Anno 1530. & 32.

78. His acceſſit Pax Religioſa, compoſita Paſſavii Anno 1552. & trienniò poſt Auguſtæ ſtabilita; uti & Pacificationes alia; præſertim Monaſterienſis. In quas conſenſum ab Imperij Principibus Orthodoxis plerisque belli vis, & majora mala, evitandi neceſſitas publica extorſit.

ARTICULUS VII.

De Jure Canonico clauſo Corpore Juris.

SUMMARIUM.

- 79. Juris Canonici definitio.
- 80. Et differentia à Civili.
- 81. Originem ducit à Canonibus Apoſtolicis:
- 82. Qui omnes Authentici ſunt:
- 83. Et ſi diverſimodè referantur.
- 84. Illis ſucceſſerunt Conſtitutiones S. Clementis & Codex Canonum:
- 85. Colleſiones Fulgentii & Martini Braçbarenſis:
- 86. Creſconii & Iſidori Peccatoris:
- 87. Burckardi Wormatienſis:
- 88. Cardinalis Deusdedit, Anſelmi Luçenſis & Juonis Carnotenſis,
- 89. Et Decretum Gratiani:
- 90. Cujus textibus vim Juris DD. aliqui omnibus tribuunt.
- 91. Alii eos reducunt ad ſuos fontes.
- 92. Quid in eo Paleæ voce intelligatur?
- 93. De uſu Canonum Penitentialium.
- 94. Præcipuè ſpectantium Forum externû,

- 95. Et Sacerdotis arbitrio non obſtantium in interno,
- 96. De Compilatione Gregoriana:
- 97. Cujus textus Jus Eccleſiaſticum ſunt,
- 98. Tribus caſibus exceptis.
- 99. Commentum de S. Raymundo, compilatore,
- 100. Falſtatis convincitur.
- 101. De Libro Sexto Decretalium,
- 102. Clementinis,
- 103. Et Extravagantibus Joan. XXII. & Communibus.
- 104. De contrarietate textuum Decreti,
- 105. Decretalium Gregorii IX.
- 106. Bonifacii VIII. Clementinarum, Extravagantium Joannis XXII.
- 107. Et Communium.
- 108. De Authoritate Rubrica,
- 109. Summæ Canonum ac Legum.
- 110. Gloſæ,
- 111. Et libri Decretalium VII. à Petro Mattheo,
- 112. Et poſtea Authoritate Apoſtolica ab aliis compilato.

**J**us Canonicum ſic dicitur à Græca voce 79.  
*κάνων*, Latinis Regulam denotante, *can. i. diſt. 3.* quòd tanquam Regula five norma vivendi Eccleſiaſtica, ab omnibus cuſtodiendum ſit, *c. 1. de Conſtitut.* eſtque Jus Poſitivum, quod à Summis Pontificibus conſtitutum vel approbatum, & Eccleſiæ traditum, fideles proximè ad cultum divinum, Pacem & Juſtitiã Chriſtianam conſervandam: ultimatè verò ad æternam beatitudinem, tanquam ultimum finem, conſequendam dirigit, Pirrhing *Method. Juris Can. Proem. n. 15.* Unde Canonicum hos, licet à Naturali & Gentium Jure ferè differat, ut Civile: & cum iſto magnam habeat affinitatem, ejuſque Conſtitutionibus non rarò adjuvetur, *c. 1. de Nõ-*

80. *de Novi operis nunt.* à Civili tamen etiam ipsum discrepat, non solum ratione Conditoris; eum istud à Seculari merè prophana & proximè ab hominibus collata: Canonicum verò à Spirituali & immediatè à Deo accepta potestate dimanet: sed etiam ratione finis; Civile enim Reipublicæ istiusque civium felicitatem merè temporalem ac Politicam: Canonicum verò æternam Beatitudinem & salutem animæ spirituales ac Supernaturales, per vitæ & Justitiæ Christianæ opera obtinendam, propriè intendit. Quin etiam ratione Universalitatis; illud enim certum tantum yg. Romanum Populum; hoc verò omnes omnia Christi Fideles, etiam Reges atque Imperatores adstringit, *c. 1. de Constit. & c. Omnes 4. de Majorit. & Obed. Panormit. in Proœmium n. 16. & Suarez Lib. 4. de LL. cap. 19. à n. 2.*

81. Porro Canonicum Jus originem suam debet ipsis Apostolis, ad gubernandam Ecclesiam, stabiliendam propugnandamque Evangelicam doctrinam, condentibus ac promulgantibus varias Sanctiones: quæ prius, sicut aliæ Traditiones, in fidelium cætib; servabantur, postea verò à S. Clemente B. Petri discipulo & successore Græcè conscriptæ Apostolicorū Canonum sive Regularum nomine circumferebantur: & à Dionysio Scythæ, cognomento Exiguo, sed summæ suo tempore æstimationis viro, in Latinum translatae sunt, teste Cassiodoro *de Divin. Lect. cap. 23.* apud Baronium *ad annum Christi 102. §. Rursum verò.*

82. De illorum Canonum vi, etsi non levis controversia sit: & cum Magdeburgensibus eos omni authoritate carere, aliqui desumant ex *can. Sancta 3. dist. 15.* Ubi inter Apocryphos à Gelasio Papa etiam recensetur *Liber Canonum Apostolorum*: alii verò cum summis PP. Zephyrino & Leone *can. Sexaginta 2. can. Clementis 3.*

*dist. 16.* tantum sexaginta, vel solummodo quinquaginta agnoscant, vel cum Baronio *l. cit.* quinquaginta duos tanquam authenticos & verè Apostolicos esse, cum Turriano, ipsorum authoritatem integrò librò vindicante, & Covarruvia *Lib. 4. Var. cap. 17. n. 6.* aliisque censent Barbosa in *can. 1. dist. 16. n. 3.* & Gonzalez in *Apparat. Jur. Canon. n. 42.* suum hunc de his sensum variis SS. Ecclesiæ Antistitum Rescriptis, Decretis Conciliorum & SS. PP. antiquissimorum testimoniis, *can. Placuit 4. & can. Quoniam 6. cit. &c.* relatis, stabilientes.

Ne autem huic suæ doctrinæ in contrarium allatis textibus relatorum SS. Pontificum authoritas advessetur, imprimis à Gelasio *can. Sancta cit.* uti etiam ab Isidoro *can. 1. dist. 16. n. 3.* non eorum Canonum, de quibus nobis sermo est: sed alium quandam, à Priscillianistis suppositum multisque falsis dogmatibus scatentem, & *Apostolicorum Canonum* nomine editum Librum tanquam Apocryphum, & meritò reici, docent cum *cit. Turriano Lib. 1. cap. 15.* Deinde eruditè advertunt, à S. Clemente collectos Apostolorum Canones, ab aliis diversimodè relatos ita; ut aliquando duos tresve complecteretur unus; indeque factum, ut quantumvis vera essent octoginta quinque, ab aliquibus tamen tantum agnoscerentur sexaginta, ab aliis solummodo quinquaginta, juxta *can. 1. & 2. cit.* vel quinquaginta duo cum Baronio *l. cit.* Denique cum Melch. Cano *de Loc. Theolog. Lib. 5. cap. 5.* notant, Apocryphum seu non-Canonicum librum censeri addici posse vel; quòd non sit ex sacris sive Divinæ scripturæ libris: vel, quòd non sit Authenticus, hoc est, Apostolica vel alterius Ecclesiasticæ Legis vim non habeat, Quorum sensuum, sicut priori Apostolorum Canones non-Canonicos esse, facile conce-

concedunt; quòd S. Scripturæ Libris non accenseantur à Concilio Tridentino *sess. 4. Decreto de Scriptur. Canon.* ita eos Canonicos & verè Apostolicos esse in posteriori sensu, indubitatè docent, propter allegatos textus & auctoritatem Humanam maximam.

84. Canonibus Apostolicis cum, tempore successerunt Constitutiones ipsius S. Clementis aliorumque Romanorum Pontificum & Conciliorum Decreta, eorumque Græcè ac Latine conscriptæ Collectiones: & prima quidem à memorato Dionysio Exiguo, Viro Linguae utriusque & Divinarum scripturarum sanctionumque Ecclesiasticarum peritissimo, sub annum Christi 527. cujus collectio esse creditur, quæ *can. 1. §. Cum & ipsi dist. 19.* à Nicolao Papa vocatur, *Codex Canonum*, è quo desumptus est textus *c. Licet 2. de Præbend.* Idem Canonum Codex approbatus est à Leone IV. *can. 1. dist. 20.* ab Adriano IV. dono datus Carolo M. ejusque executio ab isto Gallie Episcopis commendata, ut notat Sirmondus *Tom. 2. Concil. Gall. ad annum Christi 787.*

85. Secunda Canonum Collectio *Breviarum* nomine à Cresconio relata, eodem seculò V. concinnata est à Fulgentio Ferrando, Diacono Ecclesie Carthagenensis: cujus mentio fit à Gratiano post *can. Sacrorum 32 dist. 63.* & à Baronio *ad annum 527. n. 76.*

Tertiam, à Concilio Lucensi, annò 571. celebrato, approbatam Canonum Collectionem sub idem & Honorii I. tempus Martinus Ordinis S. Benedicti monachus & Episcopus Bracharensis, partim ex Synodis Græciæ, pro Hispaniæ Ecclesiarum utilitate Latine redditis: partim ex Latinis, præcipuè Toletanis, Conciliis elaboravit. Unde à Gratiano in Decretum translatus textus *can. Episcopum 6. dist. 64. can. Non debet 2. dist. 65. can. Non liceat. 3.*

*dist. 92. Et.* Martino Papæ, si hoc nomine Compiler Episcopus non intellexit, perperam attributi sunt, ut eruditè observat laudatus Gonzalez *n. 46.*

Quarta & trecentis capitibus constans Collectio à memorato Cresconio Episcopo Africano eodem ferè tempore confecta, & *Concordia Canonum* nomine vulgata est, teste Baronio *cit. n. 76.*

Quinta à S. Isidoro Hispalensi Episcopo digesta, ejusque nomine, sed non modicò Canonum, ex Conciliis Toletanis post illius obitum celebratis, de proscriptorum, auctario adiectò, edita est ab Isidoro, *Mercatore*, verius *Peccatore* dicto; quòd demissionis ergò nomen hoc addere solitus sit subscriptionibus Epistolarum, Luitprandus in *Chronico ad annum 717.* Baronius in *Notis ad Martyrolog. 4. Aprilis & Possesvinus in Apparatu Sacro lit. 7.*

Sextam ex summorum Pontificum Epistolis, decretis Conciliorum, per annos plus quàm quadringentos celebratorum, SS. Patrum sententiis & Sanctionibus etiam Imperialibus compilavit, & in viginti Libros divisam *Decretorum* nomine anno 1020. edidit Brocardus sive Burkardus, ex monacho Ordinis S. Benedicti Episcopus Wormatiensis: cujus Epistola refertur *can. 1. dist. 73.* & meminere Possesvin. in *Apparat. Sac. lit. B.* & cit. Gonzalez *n. 47.*

Septima à Cardinale Deus dedit: & post hunc alia Collectio elaborata atque edita est ab Anselmo Episcopo Lucensi. Uterque Compiler eodem seculò floruit: ille sub Victore II. qui anno 55. iste sub Gregorio VII. anno 73. creatis, Gonzalez *l. cit.*

Octavæ, & ante Gratianum in pretio habitæ Collectionis auctor est Ivo Episcopus Carnotensis: quæ in tredecim partes divisa, & à Græcis nominibus *πέντε & Νέγος*, quarum illa *Omne*, ista *Legem* denotat

notat, quasi leges Ecclesiæ omnes complecteretur, *Panomia* dicta est. Claruit Ivo temporibus Urbani II. usque ad annum 1114. Baronius *ad hunc annum n. 14.* & Possevinus *cit. lit. f.*

Relatæ hæcenus, & Photii, Harmenopuli, Siagrii aliorumque minoris notæ Collectiones, tanquam Jus Ecclesiasticum observatæ sunt, donec in lucem prodiret Corpus Juris Canonici, quò hodie in Scholis & Foro utimur.

Complectitur autem istius Juris scripti Corpus tria Volumina, antiquioribus Collectionibus uberiora, & magis etiam accuratè, à diversis viris, & diversis etiam temporibus adornata.

Primum volumen communi usu vocatur *Decretum*, vel simpliciter, vel cum addito *Gratiani*, Viri Religiosissimi & eundem, quem Martinus ac Burckardus Compilatores antè laudati, sanctissimum Ordinem Professi in Monasterio S. Proculi apud Bononienfes, à quo illud studio & labore indefesso in æde SS. Felicis & Naboris MM. elaboratum, & concinnatum est ex variis Divinarum Scripturarum sententiis, quæ toto Volumine relatis textibus passim inspersæ leguntur; ex Constitutionibus & Rescriptis Summorum Pontificum: ex Conciliorum generalium & particularium decretis: ex sanctionibus Legalibus, seu textibus de promptis ex Jure Civili: ex SS. Ecclesiæ Doctorum, aliorumque Patrum sententiis; ex relationibus nonnullorum Historicorum: quibus hinc inde, diverso ab aliis textibus caractere, inspersa sunt dicta sententiæ ac doctrinæ ipsius Gratiani, & Canones illi, qui *Pala* inscribuntur. Ex his omnibus adornatum *Decretum* à compilatore suo divisum in tres partes, & nomine *Concordantiæ Canonum* editum in lucem est Anno 1059. ut vult Genebrardus *Chronie. Lib. 4.* vel

potius 1150. ut aliis relatis existimat Barbosa in *Decret. Proœm. n. 3.*

Continet autem illius Decreti Pars prima Distinctiones centum & Unâ, in Canones seu Capitula divisas: quæ per citationem plerumq; ita allegari solent, *can. Lex est 3. dist. 1. vel can. 3. dist. 1.* aliquando sic, *dist. 1. can. Lex est.* Secunda Causas triginta sex: quarum singulæ in Quaestiones, & hæc in Canones dividuntur, & sic citantur *can. Lator. 2. q. 7. exceptâ Causa 33. q. 3.* quæ continet Tractatum de Pœnitentiâ, divisum in septem Distinctiones & Canones, ita solitos allegari, *can. Constat. 3. dist. 4. de Penit.* Tertia, quæ agitur de Consecratione, in Distinctiones quinque: istæ autem iterum in Canones dividuntur, & citantur, *can. Nulli 4. dist. 3. de Consecrat.* numerò ipsius Canonis aliquando additò, aliquando & frequentius omittò.

De istius sive Gratiani voluminis textibus dubium & controversia inter DD. est, an approbati Juris sive Legis Ecclesiasticæ vim omnes obtineant; nam Panormit. *in c. Ex parte 2. de Rescript. n. 9.* Felinus *ibid. n. 44.* & cum ipsis Tufchus *Prætic. V. Decretum conclus. 110. n. 11.* Martha. *de Jurisdic. p. 1. cap. 30. n. 37.* & alijs approbatum volunt, vel expressè ab Eugenio III. vel saltem tacitè, tolerantia & patientiâ Summorum Pontificum, id in Foro & in Scholis passim allegari, non ignorantium & patientium: imò *c. Relatum 11. de Testament. c. Nobis 25. de Jure Patronat. Clement. 1. de Jurejurando &c.* allegantium. Maximè autem indubitati Juris vis Decreto tribuenda videtur hodie, postquam Gregorii XIII. jussu à variis erroribus repurgatum & vulgatum est, istius Papæ Epistolâ præfixâ: quæ ei Juris autoritas confirmata, aut indulta esse videtur *arg. l. 1. C. de Veteri Jure enucl.* Sed hoc melius alii negant cum Ant. de Butrio

Butrio in *Decret.* §. *Sane n. 10.* Henrico Caniſio in *Summa Lib. 5 tit. 1.* Suarez, *Lib. 4. de LL. cap. 5. n. 6.* Rodriguez *Tom. 1. Regul. q. 6. art. 2.* Layman *Lib. 1. Theolog. Moral. tract. 5. cap. 6. n. 12.* & Andr. Mendo *Lib. 1. de Jure Academico q. 28. n. 526.* eâ præcipuè ductis Ratione; quòd Gratianus, tanquam privatus, condendæ Legis authoritatem non habuerit: neque ab ullo Pontifice ejus volumen Juri Eccleſiaſtico ſit accenſum; cùm ab Eugenio III. vim Juris ei collatam eſſe, non conſtet; ab emendatione verò & præfatione Gregoriana id ſolum acceperit, quòd cum iſta editi Decreti Canones cenſeantur ſuis originalibus convenire.

21. Quare ſinguli iſtius Decreti textus ad fontes ſuos ſive originem ſunt reducendi. Primò enim ea, quæ illi ex Evangelica doctrina Novæ Legis inſerta ſunt, Divini, & aliqua Naturalis, iſtiùſque Juris vim habent, quæ Decreti textibus ex Veteris Legis præceptis Moralibus inferri leguntur, juxta dicta *n. 42.* Canonici verò totiusque Eccleſiæ cõmunis Juris authoritatem obtinent Conſtitutiones Apoſtolice, & Apoſtolice authoritate pro tota Eccleſia approbatorum Conciliorum etiam particularium decreta, relata Volumine Gratiano: uti & præcepta Apoſtolica in Actis & Epistoſis Apoſtolorum & Veteris Teſtamenti præcepta Cæremonialia ac Judicialia, quando hæc illi inſerta Conſtitutione Apoſtolice comprehenduntur, juxta dicta *n. 43.* Ex particularium autem Conciliorum, à Sede Apoſtolice pro tota Eccleſia non confirmatorum & iſtius generali Conſuetudine non receptorum, decretis traducti Canones ultra propriam nationem provinciam vel civitatem ſeu diœceſin non porriguntur, ut *Lib. 1. tit. 2. n. 24.* ſtatuetur.

Secundò ſententiæ & dicta, ex SS. Patrum & præſertim Eccleſiæ Doctõrum

Libris depromptæ, licet propter legiſlativæ poteſtatis defectum Juris vi per ſe non polleant, & Magiſtralia potiùſquam Legalia ſint: ex Conſuetudine tamen, propter maximam illorum authoritatem, cauſarum deciſionibus in Foro & non ſatis explorati Juris elucidationi in Scholis accommodantur ac recipiuntur, vigore *can. 1. diſt. 20.* ubi relatò Leonis IV. Apoſtolicò reſcriptò, *Cùm inuſitatum & Jure Eccleſiaſtico non definitum negotium emerſerit, SS. Eccleſiæ DD. dicta unanimiter retinere ac promulgare, vel illud ad Sedem Apoſtolicam referre jubemur, pirrhing, in Proœna Decretal. n. 22.*

Tertiò, ex Imperiali Jure deſumptis textibus ipſa in Decretum translatio Eccleſiaſtici Juris non contulit authoritatem; quòd illa, ipſaque Decreti compilatio facta non ſit Legiſlatoris Eccleſiaſtici publica authoritate: ſed ſtudiò motiùſque privato Gratiani, Viri quidem Religioſiſſimi Sapientiſſimique, ſed condendi juris iſtiùſque valorem legibus conferendi carentis poteſtate; ut adeo in Canonici Juris Corpus ſive iſtius Volumen primum traductæ leges Civiles, ſicut non amiſere priſtinam, ſic novam Eccleſiaſtici Juris vim non ſint conſecutæ. Niſi tamen generali Eccleſiæ uſu receptæ, vel Apoſtolice Authoritate approbatæ, aut hujusmodi Conſtitutioni, in Decretum translata, ſint inſerta, ſicut factum eſt *can. Inprimis 2. q. 1. c. ſin. de Arbitris c. Incauſis 15. de Teſt. & atteſt. c. Cùm ab omni 10. de Vita & honeſt. c. Inter alia 6. de Immunit. c. Cùm Secundùm leges 19. de Hereticis in 6. &c.* Cùm enim hujusmodi receptione, approbatione, inſertione leges canonizari, ſive in Canones tranſire intelligantur, *arg. L. 1. §. 6. C. de Vet. jure enuel. & c. ſi Apoſtolice 22. de Prabend. in 6.* Apoſtolice Authoritate recepti approbatique, vel ejuſmodi Conſti-



Constitutione clausi Juris Civilis textus, communis juris Ecclesiastici vim obtinebunt, Panormit. *in c. 1. de Presumpt. pr. ubi Felin n. 1. Suarez Lib. 4. de LL. cap. 5. n. 7. & Fagnanus in c. Inter alia cit. n. 6.*

Quartò, ex Historicorum & similibus Scriptorum monumentis in Decretum traductæ narrationes eam fidem merentur & obtinent, quam Authores, à quibus illæ ad posteritatis memoriam literis sunt mandatæ.

92. Quintò demum ea, quæ de suo inserta à Gratiano, aut Paleæ inscriptione fortassis primæ ejus Collectioni à quodam Gratiani Discipulo; vel ab ipsomet istius Magistro inter componendum legendumque apposita; vel ab aliquo S. R. E. Cardinale Decreti concinna laudem, Gratiano debitam, ambitiosè sibi vendicante, apud Martham p. 1. de Juris. dist. cap. 30. à n. 35. Capollam de Cognit. Libr. Jur. Canon. in pr. & Fagnanum, in s. 1. de Constitut. n. 44. aut ab alio quopiam adjecta sunt, nequaquam paleæ, hoc est, ut aliqui falsò volunt, nullius ponderis & utilitatis quisquiliæ sunt; sed, ut aliæ privatorum DD. assertiones, probabilis doctrinæ vim habent: dummodo Ecclesiasticis Regulis aut moribus non adversentur, Layman l. cit. & Barbosa in Proœmio Decreti à n. 6.

93. Decreto subjeçti referuntur quadraginta septem canones, ex variis PP. decretis collecti, & dicti *Penitentiales*; quòd iis graviorum quorundam, criminum reis pœnitentiæ agendæ certum tempus & modus decernatur. Quorum tamen rigor, peccatorum & peccantium numero cum tempore crescente, fere est antiquatus: & olim etiam Forum Ecclesiæ externum potissimum spectabat, ad publicæ offensionis scàndalum tollendum, ut cum Navarro in can. Falsas 6. de Penit.

dist. 5. n. 27. advertunt Henriquez Lib. 2. cap. 22. & Suarez de Penit. disp. 38. s. 4. n. 2. quòd secundum eos imponendæ aliquando essent pœnæ Depositionis, Privationis dignitatis & similes aliæ, Sacramentalis Sigilli violandi periculum inducentes, Navarr. *ibid n. 18. & Streinius Prolegom. Jur. Canon. §. 13. n. 2.* Quòd si quidam pertinebant ad forum Pœnitentiale internum, mitigari potuerunt Sacerdotis, qualitatem peccatorum & peccantium facultatem aliàsque circumstantias ponderantis, prudenti arbitrio: ad quod pœnitentiæ in sacro tribunali imponendæ negotium hodie revocatum, patet ex S. Synodi Trident. Sess. 14. cap. 8. de Sacram. Penit.

95. Neque huic de propositis Canonibus sensui nostro & Sacerdotis arbitrio adverteratur can. Falsas cit. ubi relatus Gregorius III. falsas Pœnitentias vocat, quæ non secundum PP. Auctoritatem pro qualitate criminum imponuntur; quia subjeçtis exemplis, hanc suam assertionem dictis non repugnare, ipse Papa declarat, cum non verè pœnitentes ait, qui retinent odia, non dederunt peccandi occasiones, bona injustè ablata non restituerunt &c. quibus, & peccatorum non omnium pœnitentibus contra decreta PP. can. fin. dist. cit. can. sunt plures 42. de Penit. dist. 3. & c. Quod quidam 5. de Penit. & remiss. uti etiam à Sacerdote sine rationabili causâ minor, ac proinde imprudenter imposita Pœnitentia, falsâ nuncupatur. Non etiam, quæ prudenti confessoris arbitrio temperatur; cum hoc non obscure permittatur à summis PP. Leone & Nicolao & à Concilio Carthag. III. cap. 31. can. Tempora 2. can. De his 3. can. Penitentibus 5. Co. 26. q. 7. relatis. Hostiens. in summa de Penit. & Remiss. n. 60. pr. cit. Navarrus n. 24. & Suarez n. 2. & 3.

Alte

96. Alterum eiusdem Corporis volumen complectitur Libros V. Decretalium Gregorii IX. sic dictos; quia summi istius Ecclesie Antilitis iussu & Autoritate à S. Raymundo de Pennaforte, ipsius Capellano & Penitentiario, ex illustrissimo Ordine FF. Prædicatorum Viro Sanctitate & doctrinâ percelebri, ex præcis atque à Gratiano prætermis Canonibus ac Responsis, eoque posteriorum summorum Pontificum, & ipsius etiam Gregorii (ne ad Collectionem, suo nomine edendam, a symbolo accessisse videretur, ut advertit Cuiacius ad c. *Prætere* 2. de *Sponsal. & c. Quamvis* 25. de *Sent. & re judic.*) Rescriptis ac Decretis collectis adornatis, & tanquam Ecclesiasticum Jus prælegendum in scholis & in foro ac iudiciis observandum, vulgati sunt Anno 1230. Barbosa & Gonzalez uterque in *Proæmio ad easdem Decretales*, ille n. 3. iste n. 52. Dividuntur singuli Libri in Titulos & Capitula, & allegari consueverunt olim, c. *Ex litteris* 20. *Extra de Rescript. c. Nihil* 44. *Extra de Elect.* Hodie verò dictione *Extra* omisâ c. *Ex litteris* 20. de *Rescript. c. Nihil* 44. de *Electione*.

97. De secundo hoc sive Gregoriano Volumine in dubium vocari potest, an Ecclesiastici, totâque Ecclesiam obligantis Juris vim obtineant omnes ejus textus. Dubitandi Ratio est; quòd in eo Alexandro & Innocentio, utriusque ejus nominis III. inscriptæ Decretales non omnes inter istorum SS. Pontificum Epistolas reperiuntur: & relatæ in eo sententiæ non omnes sint SS. Pontificum, aut istorum auctoritate confirmatorum Conciliorum, Canonis sive Regulæ & Legis Ecclesiasticæ Universalis condendæ potestate prædicatorum: & ex ipsorum SS. Pontificum Rescriptis complura non toti, sed particulari alicui Ecclesie, dioecesi, provinciæ: & quædam eaque non pauca uni vel pluri-

bus personis particularibus sint inscripta.

Verùm, etsi hæc ita sint, indubitati tamen Juris vim & auctoritatem illis contulit Gregorius IX. eos Ecclesiastico Juri inferendò, & in Ecclesia observari præcipiendò: sicut Justinianus VV. Imp. Rescripta, etiam personis privatis reddita, Jus Imperiale fecit, ea referendò in Codicem, toti que Populo Romano proponendò, l. 1. ff. de *Constitut. Princip. l. 1. C. de Vet. jure enucl. cujus* §. 6. Imperator, *Omnia* inquit, quæ relata fuerint in hunc Codicem, *nostra facimus; quia ex nobis omnis eis auctoritas impertitur & c. si Apostolica* 22. de *Præbend. in 6. ibi: Cum ipsa post impertitam à nobis auctoritatem nostra censeantur effecta.* Gonzalez l. cit. n. 50. & 54. & *Mendo quest. cit. n. 528.*

98. Excipiendi tamen imprimis sunt relatis voluminibus inserti textus, quorum dispositioni legitime præscriptâ Consuetudine aut Constitutione contrariâ posteriori est derogatum, juxta dicenda *Lib. 1. Tit. 2. n. 127. & Tit. 4. n. 37.* Deinde iisdem clausa Rescripta, quibus certas tantùm personas aut locum affici, ex circumstantiis aut ipsorum materia constat, sicut de c. 1. de *Locato* ibi *Barbosa n. 3. & Gonzalez n. 5. de c. Cum esles* 10. de *Testament.* ibi Joann. Andr. Covarruvias n. 7. & 12. notant. Denique eorum textibus insertæ allegationes partium litigantium; hæ enim Ecclesiastici Juris vim non obtinent: nisi ipsis subjectâ & conformi causæ decisione vel sententiâ aut Responso Papæ firmatâ vel aliò Juris textu sint approbatæ, sic enim c. *Cum dilectus* 2. de *Capell. Monach.* allegatur, Ecclesiam intra fines Parochiæ sitam de Jure communi illi esse subjectam: & tamen hoc Jus ubi sit, à se ignorari, ait Innocentius: imò id in

E

Jure

Jure nullibi exprefsum, difertè aſerit Panormit. n. 3. Sic c. Abbate 25. de V. S. à parte litigante Conſuetudini opponitur, quòd ea judiciò contradiftoriò non fit approbata: & tamen hujusmodi approbationem ad illam à Jure exigì, cum Panormit. in cap. cit. n. 13. aliisque Interpp. & DD. negat Suarez Lib. 7. de LL. cap. 11. n. 2.

99. Silentio hic prætereundum non eſt, quòd de laudato Gregoriano voluminis compilatore S. Raymundo commentus eſt Daniel Keyſer ICTUS Coburgensis Heterodoxus, ipſum in ſua, paucarum quidem pagellarum, ſed non paucis erroribus ac figmentis adornata *Juris*, ut vocat, *Historia, Francofurti 1677 edita p. 3.* eundem eſe perhibens cum famoſo illo Doctore: qui Pariſiis tanquam pro Numine habitus mortem oppetiit Anno Chriſti 1086. ubi è loculo erectus, clara voce & attonito gemitu ſe ex juſto Dei judiciò damnatù eſſe, & jam jam infernales ſentire cruciatus, exclamabat.

100. Ita ille cum nonnullis ejuſdem fidei ſcriptoribus, ſed palmari ſanè omnes licentià comminiſcendi, immenſò temporum locorumque & veritatis omnino intolerabili trajectu; cum conſtet, Raymundum noſtrum, non Gallum aliquem, ſed Hiſpanum, Barcinone ex Nobiliſſima & Arragonum Regibus cognata ſtirpe procreatum: *De Pennafort.* Non, ut apud Raynaudum Tomo 9. in *S. Brunone p. 3. n. 6.* Orcinus ille, *Diacres* cognominatum; Non Sorbonicum, aut alium quempiam è Pariſiis Sacræ Theologiæ, ſed Bononiensem Jurium Doctorem & SS. Canonum Profefſorem, poſteaſque Gregorij Papæ IX. Capellanum, Pœnitentiarium & Confefſarium: Non Canonicum aliùve clericum ſecularem, ut ille apud eundem n. 7. ſed Religioſum FF. Prædicatorum Sanctiſſimum

Ordinem profefſum, ejuſdemque Magiſtrum Generalem III. Non vanæ gloriæ & honoris Sectatorem, ſed contemptorem, ſupremò illò Magiſtratu abdicatò, Patriæ ſuæ Archiepiſcopatu reſcuſatò, mundani faſtus odiò, & latendi deſideriò ſtudiòque clariffimù fuiſſe: Non Anno Chriſti 1086. vel potius 1082. quò tempore ſupremù Eccleſiæ clavum Gregorius VII. & Romanum Imperium Henricus III. tenuère, & luſtuofa illa catastrophe accidiffe, à Surio in *S. Brunone pr.* & Raynaudo *p. cit. n. 15.* perhibetur; ſed poſt hanc & illos duobus ferè ſæculis 1275. 8. Idùs Januarii, ſedente Romæ Gregorio X. & Rudolpho I. in Germania Imperante: Non Lutetiæ Pariſiorum, in Urbe ab ipſo fortaiſis nunquam viſa, & ferali illius ſpectaculo atque ad infernales rogos damnati ſententià attonitâ) mortem oppetiſſe; ſed Barcinone, è Patria ſua, prope centenarium, & meritis non minùs, quam annis gravem, ad vitam immortalẽ & perennaturam felicitatem evocatum: Alphonſo Caſtellæ, Jacobo Arragonum Regibus, aliſſque Magnatibus & Eccleſiarum Præfulibus cum Clero & Populo Univerſo præſentibus, ſummo honore & pietatis ſenſu maximo tumulatum: editiſque innumeris miraculis, compluribus etiam mortuis ad vitam revocatis ita inclaruiſſe; ut quemadmodum Pariſini illius Nomen Cælo terrisque proſcriptum & damnata memoriã eſt, ſic ipſe Beati Cœlitis inſtar privata fidelium veneratione fiduciaque coli & invocari ſtatim à morte ceperit, & demum à Clemente VIII. in Sanctorum catalogum ſoleni ritu relatus fuerit 3. Calend. Maij 1601. ut habetur in ejus *Vita & miraculis* à Leandro Alberto, Michæle Lot, aliſſque conſcriptis & relatis in Bulla Canonizationis, quæ incipit *Romana,*

MANA, apud Cherubin *Bullar. Tom. 3.*  
& Bolland. 7. Jan. in *Vita S. Ray-*  
*mundi.*

101. Tertium iſtius Juris ſcripti ſive, Cor-  
poris Juris Canonici volumen comple-  
ditur tres partes, Prima eſt Liber,  
ut vocatur, Sextus Decretalium: qui  
ex ſummorum Pontificum, Gregorio  
IX. poſteriorum, duorumque Genera-  
lium Conciliorum Lugdunenſium Con-  
ſtitutionibus, Reſcriptis ac Decretis,  
Guilielmi Archiepiſcopi Ebreduenſis  
Berengarii Epifcopi Bitterrenſis & Ri-  
chardi de Senis S. R. E. Vicecancellarii o-  
perâ, in totidem, quot Gregorianæ De-  
cretales, Libros; iisque reſpondentes (li-  
cet non omnes) Titulos ſeu Rubricas,  
hiſque ſubjecta Capitula digeſtus, & à  
Bonifacio VIII. Eccleſiaſtici Juris au-  
thoritate donatus ac publicatus eſt anno  
Chriſti 1294. vel, ut alii volunt, 1300.  
Gonzalez l. cit. n. 55. Allegari à DD. &  
in Scholis ſolet c. *Si Gratiòsè 5. de Reſcrip-*  
*tis in 6. c. Unic. de Poſtul. Pralat. in 6.*

102. Secunda ejus pars ſunt Clementinæ  
ſive Conſtitutiones, à Clemente V. in  
Concilio Viennenſi, imò etiam ante &  
poſt iſtud editæ, & in totidem Libros,  
eoſdemque, licet numero pauciores,  
Titulos & Capitula diviſæ: quas tamen  
non ipſe Clemens, ante earum per-  
fectionem morte præventus, ſed Joannes  
XXII. vulgavit Avenione 8. Calend.  
Novemb. 1317. Per citationem alle-  
gantur *Clement. Unica. vel Clementina*  
*Cum Illuſo de Renuntiat.*

103. Tertiam demum ejus partem con-  
ſtituunt Extravagantes Conſtitutiones,  
tam Joann. XXII. quàm Communes alio-  
rum etiam Pontificum, ſic dictæ; quòd  
antehac extra Corpus Juris quaſi incerta  
fede vagarentur: quæ tot Libros, quot  
prioris partes, & non alios, eſſi multò  
pauciores, titulos hiſque ſubjectos tex-

tus habent, Harum Conſtitutionum  
Extravagantium priores Juris corpore  
clauſis additæ ab ipſo Joanne Papa, earum  
conditore, Vallens. *Proam. §. 8. n. 10.*  
poſteriores verò ſive Communes nullius  
ſummi Pontificis autoritate compilatæ:  
atque idcirco ad authores ſuos & datæ  
tempus reducendæ ſunt; ut corpori illi  
Apoſtolica autoritate inſertis Conſtitu-  
tionibus, ſi contrariæ ſint, non derogent, ſi  
eas ante illarum compilatione publicatas,  
ex data conſtet, Engel *ad Rubric. de Prab.*  
*& dignit. n. 52.* Extravagantes citan-  
di modus ſatis expeditus eſt *Extravag.*  
*Execrabilis Joann. XXII. de Prab. Extra-*  
*vag. Ambitioſa inter Communes de Rebus*  
*Eccleſ. alien. numero,* ut in priori-  
bus partibus omnibus, aliquando ad-  
ditò vel omiſſò, aliquando ſolò ex-  
preſſò.

Tribus hiſ voluminibus, & toti- 104.  
dem poſtremi partibus clauſos textus, ſi  
conciliationem non admittant, priores  
à poſterioribus correctos, unanimi DD.  
calculò eſt receptum. Ipſò etiam De-  
creti Gratianæ volumine contentorum  
canonum non paucos ab aliis correctos,  
ita apertum eſt, ut nemo in dubium vo-  
cet; quòd non appareat, quâ interpre-  
tatione in concordiam reduci *can. Uni-*  
*us 1. cum can. Acutiùs 2. diſt. 26. can.*  
*1. §. Qua propter diſt. 23. & can. 1. diſt.*  
*63. cum can. Adrianus 22. pr. diſt. cit. &*  
*hujus can. §. Inſuper cum can. 1. can.*  
*Omnis 7. & can. Vota 27. eadem diſt.*  
*vel conciliari valeant can. Anteriorum 25.*  
*cum can. Propter 20. & can. ſeq. 2. q. 6.*  
*can. 1. cum can. ſin 28. q. 3. &c.*

Gregoriani autem Voluminis Con- 105.  
ſtitutiones ac decreta ab omni antinomia,  
cum Gloſſa in Procem. V. *Contrarieta-*  
*tem abſolvunt Moneta p. 2. de Distribu-*  
*cap. 11. n. 31. Barboſa in Proam. cit.*  
*n. 42. & Engel. ibidem n. 18. ea ducti*

E 2

Ratio-

Ratione; quod in una eademque compilatione contrarietas generatim non sustineatur, l. 1. §. 8. l. Tanta 2. §. 15. C. de Vet. Jure enucl. idque de suæ insertis Decretalibus à Gregorio IX. non obscure insinuetur, *Proem. cit.* Quod an, sicut summo huic Antistiti propositum, ita à compilatore, cui ejus executio mandata fuit, omni ex parte impletum sit, non ex vano quis ambigat, si ponderet, jurisdictionis delegatæ perpetuationem ex Lucii III. c. *Relatum 19.* litis primùm contestatione: ex Urbani III. Apostolico Rescripto c. *Gratum 20. de Offic. deleg.* ipsò citationis mandatò, aut istius saltem insinuatione induci: si inter se conferat Decreta & Constitutiones, dignitatum, personatum & beneficiorum curatorum pluralitatem concernentes; cum à suamet Constitutione c. *Referente 7. de Prab. & dignit.* Alexander III. c. *Quia nonnulli 2. de Cleric. non resid.* & ab ista etiam Innocentius III, c. *De multa 28. de Prab. & dignit. & c. Literas 9. de Concess. prebend.* recelserint; itaque de una eademque beneficiorum cumulatione, pro varietate temporum, aliud atque aliud constitutum eòdem volumine reperiat. Hos tamen etiam textus conciliare Interpp. ac DD. nituntur. An id utili vel casò labore, ad *citt. Rubricas* discutietur.

106. Sicut Gregoriano, sic & postremi voluminis tribus partibus scilicet Sexto Bonifacii VIII. Clementis V. & Joannis XXII. Libris insertas Constitutiones, quibus posteriori aliquò Jure vel contraria Consuetudine derogatum non est, Juris Ecclesiastici plenum robur & auctoritatem in Foro & Scholis obtinere, res est indubitata. Earum etiam partium singularum textus à contrarietate DD. passim sic absolvunt; ut saltem prioris correctionem posteriori textu inductam

negent: nisi iste terminis correctoriis illam exprimat. sicut à Bonifacio VIII. factum c. *Exigit 2. de Censibus in 6.* eique derogatum est, c. *Felicis 3. eadem Rubr. in 6.*

An eadem ratio & vis sit Extravagantium Communium, dubitandi Ratio minimè Levis est; quod istas alicujus summi Pontificis auctoritate compilatas & Canonici Juris corpori insertas, non constat; atque idcirco ad Data tempus reducendas, dictum sit. n. 103. Nihilominus eis quoque Ecclesiastici Juris vim & auctoritatem passim & meritò adstruunt DD. quòd Apostolica auctoritate eas quoque editas, ex omnium Supercriptionibus & ex Data compluribus Subscripta satis liquet: easque Originalibus suis, in Archivo Apostolico adservatis, per omnia respondere, publica, pacifica & tribus seculis continuata in Juris Corpore tolerantia, perpetuamque in foro & scholis allegatio, & in vim Juris allegatarum receptio abunde testentur; ut quò minus eæ saltem, quibus posteriori aliqua Constitutione (sicut *Extravag. Unum Sacram; de Majorit. & Obed.* ex parte factum est *Extravag. Meruit. 2. de Privileg.*) vel legitime præscripta Consuetudine derogatum non constat, pro authenticis & sufficienter promulgatis Constitutionibus Apostolicis haberi valeant & observari debeant, nihil desiderati videatur.

Porro posterioribus his duobus 108. voluminibus Canonici, sicut & Civilis Juris corpore clausorum textuum maximæ auctoritatis & Legalis interpretis est præfixa Rubrica, ut cum Glosa in *Decretal. Lib. 6. Proem. V. Titulis* notant Panormit. in *Proem. Decretal. Greg. IX. §. Rex n. 8.* & Jason. in l. 1. ff. de *Reb. credit. an. 2.* Ratio est; quia auctoritate Apostolica, sicut in

Decre.

Decretalium Libros relati & debito ordine digeffi textus, ficutiam his præfixa est Rubrica, teste Bonifacio VIII. qui in Libri VI. *Proem.* Nos inquit, *Decretales huiusmodi diligentius fecimus recenseri, & in unum librum cum nonnullis Constitutionibus nostris redigi mandavimus & sub debitis titulis sive Rubricis collocari.* Unde à Rubrica subiectos non satis perspicuos canones interpretationem recipere, & ad hos ab illa sive, ut DD. loquuntur, à *Rubro adnigrum* in Jure validum & ad causarum decisionem utile argumentum desumi *arg. l. 1. cit.* cum DD. aliis tradunt Everardus *Arg. Legal. loco à Rubro à n. 2.* Mascardus de *Probat. conclus. 1291. à n. 1. &c.* sicut enim Executorum & Conservatorum à Papa datorum jurisdictionem, cujus qualitas textu non exprimitur, delegatam esse, desumitur ex eo; quòd de ipsis agatur sub Rubrica seu Titulo de *Offic. & potest. Jud. deleg.* sic ex generalitate Rubricæ *Novell. 66.* istius dispositione, etsi *cap. 1.* textus de Testamentaria loquatur, quascunque novas Constitutiones Imperiales comprehendendi, & Testamentariæ duntaxat exempli causâ mentionem fieri, ex communi aliorum sensu advertit Palao *tract. 3. disp. 1. p. 11. n. 3.* & regulariter *Rubrum, Nigrò* generalius, pro lege haberi volunt DD. Nisi Rubro Nigrum sit contrarium, aut ex Nigro generaliter intellecto sequatur iniquitas vel absurdum, Barbosa *Loco à Rubrica n. 4.* hoc enim casu textum à Rubrica non declarari, imò ab illo tanquam posteriore huic derogari, *arg. l. Pacla novissima 12. C. de Paclis docent cit.* Everardus *n. 12* & Mascardus *n. 12. & 14.* Minor autoritas & alia Ratio est, Rubricarum præfixarum textibus voluminis Gratianæ; cum quia, teste Panormit.

*cit. n. 8.* neque authenticæ, neque ab ipso Decreti compilatore, sed ab alio quodam sunt præfixæ, ut §. *Nota in fine post Summam dist. 1.* adnotatur; cum verò; quia non tam Rubricæ, quam summæ quædam sunt canonum subiectorum, ex iisque aliquæ falsæ, aliæ corruptæ reperiuntur. ut probe observat Panormit. *cit. n. 8.* cum ipsa compilatione Rubricas indiscriminatim omnes Authenticas esse, meritò negans.

Eadem fere, quæ Rubricæ, vis & **109.** autoritas Canonum & Legum summis seu superscriptionibus adstruitur ab Everardo *l. cit. n. 1.* quòd à magni nominis Doctoribus allegentur. Verum, quia non, ut Rubricæ, sic etiam ipsæ à Juris conditore, sed ab istius duntaxat Interpp. præfixæ textibus sunt, cum istorum sensum clarè non expriment, Rubricis minorem & vix majorem vim & autoritatem habebunt, quam suus Author vel DD. usus cuique potuit conferre.

Magna etiam in Juris interpretatione est autoritas Glossæ: & quamvis **110.** non perinde, ut ab Advocatis, teste Cyano *in l. Non moriturum §. C. de Contrah. stipul.* sic etiam à veris Jurium peritis tanquam idolum semper adoretur: his tamen etiam venerationi semper ita fuit; ut eam cuiusvis eximij Scriptoris, imò communi DD. sententiæ prævalere: & propterea in ambiguae resolutionis causarum decisionibus amplectendam, cum Baldo *in l. Quamquam 2. C. de sent. qua sine certa &c.* tradant Ceval. *in Prefat. ad Com. Opin. à n. 61.* & Mascardus de *Probat. conclus. 843. n. 1.* Nisi tamen alias Glossas habeat contrarias: vel Juris textum aliter intelligendum, doceat Consuetudo, quæ optima Legum est interpres, *c. Cum dilectus §. de Consuet.* vel alicujus Doctoris & præfer-

præsertim communis sententia confor-  
mior sit Juri, vel nitatur meliore ac  
subtiliore ratione, ut communem de  
Glossæ autoritate sensum rectè tempe-  
rat Mascardus *concl. cit. n. 13. 14. § 19.*  
& alii præsertim RR. Interpp. Juris,  
ejus authoritati in judicando & con-  
sulendo tum demum præ aliis deferen-  
tes, cum ea jure nititur vel Ratione, &  
non disidet à textu: secus ei præferentes  
sententiam communem, Juris textui & ra-  
tioni non repugnantè; quòd duo veritatem  
præ uno affectui in dubio præsumantur.

III. Prodiit multis post trium istorum  
voluminum editionem annis, & Cano-  
nici Juris Corpori in recentioribus edi-  
tionibus annexus est Decretalium Liber  
VII. operâ Petri Matthæi ICT<sup>i</sup> Lug-  
dunensis compilatus: qui tamen licet  
meras Constitutiones Ecclesiasticas, à  
Sixto IV. usque ad Sixtum V. editas,  
contineat & Gregoriani voluminis instar  
in V. Libros digestus etiam ipse sit, Jus  
Ecclesiasticum omni ex parte perfectum  
& Authenticum non est, quòd eò com-  
prehensas Constitutiones omnes debitò  
modò promulgatas, & tanquam Jus Uni-  
versale Ecclesiæ propositas, non constet:  
& postquam à memorato ICT<sup>o</sup> compi-  
latus & in lucè datus est, neq; autoritate  
Apostolica Ecclesiastici vis Juris ipsi ac-  
comodata, neq; etiã, ut Gratiani volumi-  
nis, sic etiam ipsius textus omnes fontib<sup>9</sup>  
sive Originalib<sup>9</sup> suis accuratè respondere,  
unquam sit declaratum, Pirrhing *Proo-*  
*em. Jur. Canon. n. 24.*

III. Paulò ante Volumen illud à memo-  
rato ICT<sup>o</sup> datum in lucem, Decretali-  
um Libri VII. edendi consilium suscepit  
Gregorius XIII. ejusque compilationem  
ipse primùm, dein Sixtus V. & Clemens  
VIII. variis S. R. E. Cardinalib<sup>9</sup> ac Præla-  
tis, ex Constitutionibus Apostolicis, tre-  
centorum fere annorum spatio editis, &

ex Oecumenicorum etiam Conciliorum  
Florentini ac Tridentini decretis concin-  
nandam, commiserunt. Ab his etiam  
studio ac labore maximo ad normam vo-  
lumenis Gregoriani in Libros V. dige-  
stus & ad omnem accuratorem sub se-  
culi decimi sexti finem perfectus, typis ex-  
cusus est jussu Clementis VIII. Ut adeo  
in hoc Decretalium Libro VII. nihil desi-  
derari videatur, quò minus eò relatis  
Constitutionibus ac decretis, perinde ut  
aliorum Juris Canonici voluminum tex-  
tibus, Ecclesiastici juris vis & authori-  
tas adstruatur. At revera hanc Liber  
ille non obtinuit, ejusque obtinendæ  
spe excidit, cum jam nomine Libri VII.  
Decretalium Clementis VIII. esset pub-  
licandus. Ratio, quæ publicationem  
sufflaminavit, ea fuit; ne, si tanquam  
Jus Ecclesiæ Universale vulgaretur, per-  
inde ut in cæteras Juris compilationes  
omnes, sic in ipsum quoque Glossæ &  
Commentaria ederentur à Juris peritis;  
itaque Pii IV. S. Concilii Tridentini, cu-  
jus decreta pleraque ei, de quo agimus,  
Libro inserta sunt, interpretationem re-  
servantis *Constitutio*, quæ incipit *Bene-*  
*dictus 7. Calend. Februarii 1562.* & pro-  
hibitio indirectè tolleretur, contra *Reg.*  
*Cum quid vna 84 in 6.* Fagnanus *in c.*  
*Cum venissent 12. de Judiciis à n. 61.* &  
Plettenberg. *Introduç. in Jus Canon.*  
*cap. 25. à n. 1.*

#### ARTICULUS, VIII.

De Bullario, Cancel-  
lariæ Apostolicæ Regulis & Ro-  
mæ Romanæ Decisionibus.

#### SUMMARIUM.

113. *Juris communis vim non habent*  
*Constitutiones Bullariò relata.*

114. *Nisi*

114. *Niſi pro tota Eccleſia ſint publicatæ.*  
 115. *Neque etiam Cancellariæ Regule mortuò.*  
 116. *Sed vivente tantùm Papâ, vim Legis habent:*  
 117. *Quæ etiam carent Rotæ deciſiones.*

113. **P**ater Relata & Juris Eccleſiæ communis Corpore clauſa volumina Legis, univerſam Eccleſiam obligantis, vim Aliqui adſtruunt Bullario Romano, diverſas Summorum Pontificum Conſtitutiones collectas complectenti; propter præfixum ei privilegium Urbani Papæ VIII. Verùm, quia hoc respicit favorem ſolius hibliopolæ, ſine cujus licentia imprimi vendique prohibetur, inde plus authoritatis Bullarium illud non accepit, quàm alii Libri, ejuſmodi privilegiis Apoſtolicis aut Cæſareis muniti. Unde contentæ in eo Bullæ ſive Conſtitutiones Apoſtolicæ Juris authoritatem non obtinent: niſi eas pro tota Eccleſia latas & ritè promulgatas, vel uſu receptas: & cum Originalibus ſuis reſpondere, legitime conſter. Engel *Proem. n. 8.* & Plettenberg *Introduct. Jur. Canon. cap. 19. n. 2.*

114. Quin hiſ quoque, ſi jam ante Sexti Decretalium Libri editionem publicatæ, & Libro huic inferatæ vel ſpecialiter reſervatæ non ſint, viſ à Bonifacio VIII. adempta, videri poteſt *Conſtitutione*, quæ incipit *Sacroſancta 1298.* cum Sexto Libro edita ſuper non recipiendis & pro Decretalibus habendis Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionibus, quæ Sextò illò Libro clauſæ non reperiuntur. Verùm caſſatio & annullatio iſta referenda ad eas tantùm Conſtitutiones eſt, quæ Juris Eccleſiaſtici communis vim habere ante debebant, aut videbantur: neque afficit eas, quæ poſt editionem illam pro tota Eccleſia

ſia latæ ſunt & publicatæ: neque etiam eas, quæ pro perſonis, locis vel communitatibus particularibus, v.g. certæ aliqujus diocæſis, civitatis, Eccleſiæ, monaſterii vel Religioſæ Familiæ totius favore emanârunt: cujuſmodi plures Conſtitutiones in Bullario extant, & validæ hodie quoque ſunt.

Deinde, ejuſmodi Juris vim obtinent Regulæ Cancellariæ, ſive certæ quædam Conſtitutiones Apoſtolicæ. Non quidem, ut alii Canones Eccleſiaſtici, Apoſtolicâ ſede vacante; cum eas morte Pontificis expirare, pateat ex ipſarum *Proemio*, ubi à *ſuo tempore duraturæ* dicuntur: ſed illâ Plenâ, & poſtquam ab electo ſummo Pontifice reaſumptæ fuerunt ac renovatæ, Cochier in *Reg. Cancell. Proem. n. 8. & 20.* & Engel *Colleg. Jur. Can. Proem. n. 14.*

An autem Juris univerſalis authoritatem habeant, dubium & ratio dubitandi eſt partim; quod eas Locales Conſtitutiones eſſe, indicet ipſa earum appellatio: & pro Cancellariâ tantùm Romana, & ad iſtius magiſtratus inſtruendos conditæ videantur: partim; quòd Lex univerſalis naturâ ſuâ ſit ſtabilis, *l. Edicta 3. C. de Edendo*, Regulæ autem illæ cum ſuo Authore deſiciant. Propter hanc Rationem eas pro Locali tantùm Jure cum Anchorano *Conſil. 297. n. 1. & 2.* & Decio *in c. 1. de Conſtitut. n. 2.* habet Mafcardus de *Probat. conſul. 257. n. 1.*

Sed meliùs Franc. de Pavin. in *Prælucl. Extravag. Joan. XXII. Lud. Gomez in Proem. Reg. Cancell. q. 2. in fine.* Cochier in *earundem Regularum Rubricâ n. 22. & 23.* & Gonzalez *Apparat. n. 57.* diſtinguunt: & licet iis, quæ ſunt de dandis, ipſique Cancellariæ Apoſtolicæ præſcribuntur: & quæ litterarum ſolummodo expeditionem in Curia faciendam concernunt, iſtam duntaxat. Offici-



Officiales ligare : generales tamen, sive eas, quæ de Reservationibus Apostolicis, de Dispensationibus, de Indulgentiis impetrandis & concedendis, de certis Beneficiis per Papam conferendis, eorumve Resignationibus, de Annali & Triennali Possessore &c. agunt, Juris Universalis, etiam extra Curiam & Urbem obligantis, vim habere : & in Judicio, saltem cum à S. R. E. Vice-Cancellario impetratæ producuntur, fidem facere, censent.

Neque obstant allata in contrarium; quia imprimis Cancellariæ Regulæ ideo dicuntur vel; quod multæ earum spectent expeditiones, quæ in illa sunt : vel; quod in ea publicentur. Deinde; quia, licet in omnimoda perpetuitate deficient, stabilitatē tamen sufficientem habent, hoc ipsò; quod durent ad vitam Legislatoris, & nunquam expirent sine certa spe revocationis, paulò post futuræ, Cochier *ibid.* n. 8.

117. Superfunt Rotæ Romanæ, sive summi Tribunalis Apostolici Decisiones: quibus, etsi aliqui Legis, alii probabilis tantum doctrinæ vim adstruant, verius tamen est, eas inter partes quidem litigantes, tanquam sententias Judiciales, imò saltem, quando secundum illas sæpius judicatum est, in Curia etiam Romana, tanquam ejus stylum ac praxin, Jus facere, secundum celebrem Rotæ Auditorum Pavinum *l. cit. V. Decisiones*: quoad alios tamen & extra Curiam, etsi Jura non sint, & propterea reprobari possint, ut ex ejusdem Auditoribus agnoscit Præpositus *in can. Neque 10. dist. 9.* magnum tamen pondus authoritatis & communis, imò huic prævalentis doctrinæ, & à qua sine valida ratione & magna autoritate recedendum non sit, vim habere, aliis præsertim ejus Auditoribus allegatis, tradunt Fagnanus *in c. Cum venissent 12. de Judiciis n. 32.* Engel *l. cit. n. 17.* & Gonzalez *cit. n. 57. in fine.*

## ARTICULUS IX.

## De Decretis Conciliorum.

## SUMMARIUM.

118. Concilii etymon & definitio.  
 119. Partitio in Generale & Particulare.  
 120. Generale, omnibus Christiani Orbis Episcopis convocatis,  
 121. Indicitur consensu & auctoritate Sedis Apostolicæ:  
 122. Sine qua congregatum legitimum non est,  
 123. Extra casum Hæresis Papa vel Schismatis.  
 124. Concilia Generalia approbata sunt octodecim,  
 125. Ex variis causis indicta.  
 126. In eis legitime congregatis præsidet Papa:  
 127. Vocem decisivam jure Ordinariò habent Episcopi:  
 128. Decretis Sedes Apostolica impendit confirmationem.  
 129. Quæ roborata Dogmatica Fidei Carbolica articulorum,  
 130. Moralia verò decreta legis Ecclesiæ Universalis vim habent.  
 131. Sed verius non ante confirmationem.  
 132. Papa à Concilio Generali ulla lege non constringi:  
 133. Monitione tamen & consiliis dirigi potest.  
 134. Particularia Concilia quadam Nationalia,  
 135. Alia Provincialia, vel Diœcesana sunt.  
 136. Eorum decreta ultra propriam Nationem, Provinciam vel Diœcesim non porriguntur:  
 135. Nis.

137. *Niſi à Papa pro tota Eccleſia ſint recepta.*

138. *Propria Nationis &c. ſubditos obligant, ſecluſà Papa confirmatione.*

118. **Q**uemadmodum *Articulis præcedentibus à n. 89.* relata & Canonici Juris Corpore clauſa volumina, & potiores Cancellariæ Apoſtolicæ Regulæ, ſic Eccleſiaſtica legis vim & authoritatem habent decreta Conciliorum Eccleſiaſticorum.

Concilium autem, vel à *Conſulendo*, ſive prudentum ac ſapientum virorum, de rebus neceſſitatem vel utilitatem publicam concernentibus, communi conſultatione; vel à *Conſidendo*, ſive illorum, ſuper hujusmodi negotiis congregatorum ac deliberantium conſeſſu; vel demum à *Giliis*, ſive eorundem, mentis oculorum in idem dirigentium, obtutu & communi intentione ſic dicitur, *can. 1. §. Inter cætera & §. ſin. diſt. 15.* eſtque, ſi non ſeculare ſed Eccleſiaſticum ſit, congregatio, ſive prudentum virorum Eccleſiaſticorum, authoritate Prælati convocatorum, conventus publicus, ad tractandum de rebus Eccleſia neceſſitatem vel utilitatem publicam concernentibus, Bellarmin. *de Concil. Lib. 1. cap. 3. pr.* & Vallens. *Jur. Canon. præam. §. 10. n. 2.* Eſt autem

119. Concilium aliud Univerſale ſive Generale, aliud Particulare, Gloſſa *in ſummam V. Generalia diſt. 17. & can. Convenientibus 4. V. Univerſalibus 1. q. 7.*

Univerſale ſive Generale &, ut Græci nuncupant, Oecumenicum Concilium eſt, quod ſummi Pontificis authoritate congregatur, omnibus Chriſtiani Orbis Episcopis convocatis, Gloſſa *V. Generalia cit.* legitimum enim & perfectum Generale Concilium non dicitur, niſi duo concurrant,

120. Primum eſt, ut ad id omnes Chriſtiani Orbis Episcopi convocentur: licet neceſſe non ſit, illos omnes intereſſe; eum ejuſmodi Conciliis congregatis in Oriente plerumque paucos ex Occidentalibus; & ex Orientalibus Episcopis non multos illis in Occidente celebratis intereſſe ſolitos, cum *cit. Bellarm. cap. 19.* notet Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 6. n. 9.*

121. Alterum, ut illorum convocatio fiat conſenſu & authoritate ſummi Pontificis, ut ex Traditione & perpetuo uſu Eccleſiæ, atque inde etiam conſtat; quòd, ut dictum, ad Generale Concilium convocandi ſint Chriſtiani Orbis Episcopi omnes: omnes autem convocare ad eum ſolum pertineat, cujus jurisdictioni omnes ſubſunt; omnes verò ſubſunt jurisdictioni ſolius Pontificis Romani, Chriſti in terris Vicarij & B. Petri ſucceſſoris, cum ſolus ipſe omnium totius Orbis fidelium, atque ipſorum Ordinariorum Ordinarius ſit, *can. Sacroſancta 2. can. De Conſtantinopolitana 4. diſt. 22. can. Cuncta per mundum 17. can. ſin. q. 3. &c. Azor Inſtit. p. 2. Lib. 4. cap. 14. q. 1. & aliis relatis Barboſa de Offic. Episc. p. 1. tit. 3. cap. 2. n. 17.*

123. Excipi tamen à DD. ſolent caſus, quibus Papa lapſus eſſet in Hæreſim, vel duorum de Papatu contendentium neuter in Concilii convocatione conſentiret; his enim caſibus id à S. R. E. Cardinalium Collegio convocari, Eccleſiæ & fidelium publica neceſſitas expoſcit; ut tollantur vel avertantur publica ſcandala & detrimenta, quæ ex ejuſmodi Hæreſi vel Schiſmatis continuatione impendent.

Ex his tamen cauſis à Cardinalibus convocatum Concilium imperfectum vocat Bellarminus *cit. Lib. cap. 14. ad 2.* quòd Concilium ſine Capite ſtatuerè nihil poſſit in Fidei aliſque Cauſis Majoribus, de quibus ſta-

bus statuere cum Capite potest, ut etiam obiervat Cajetanus *Opusc. de Potest. Papa cap. 15. & 16.*

Sicut his, sic etiam aliis casibus Apostolicæ Sedis, in Generalis Concilii convocacione intervenientis, necessitatem excludere primò occurru videntur exempla Constantini M. à quo Nicænum I. Ruffinus *Lib. 10. Histor. cap. 1.* Theodosii Senioris, à quo Constantinopolitanum I. Theodoretus *Lib. 5. cap. 9.* Theodosii Junioris, à quo Ephesinum I. Evagrius *Lib. 1. Histor. cap. 2.* & aliorum Impm, à quibus alia Concilia Oecumenica indicla fuisse, alii perhibent. At revera necessitatem illam exempla allata non tollunt & excludunt; cum, quia plus quam duodecim ejusmodi Concilia solius Romani Pontificis autoritate fuisse congregata, fatentur, qui necessitatem illam maximè impugnant; tum verò; quia in allegatis aliisque planè omnibus Papæ consensus & auctoritas Apostolica intervenit; cum magnam Synodum Nicænam ab Imp. Constantino & Papa congregatam in sexta Synodo *Act. 8.* referatur. Concilium etiam Constantinopolitanum à Theodosio Imp. indiclum est ad Damasi Papæ literas, quarum *ad Imperatorem missarum mandatò* illius Concilii Episcopi *ad iter Constantinopolim usq; faciendum se preparasse,* ipsi Damaso P. scripsere apud Theodoretum *cit. cap. 9.* Simili modò Ephesinum I. Cyrilli consilio & Cælestini Papæ autoritate interveniente coactum, perhibet Prosper in *Chronico,* & constat ex Evagrìo *Lib. 1. cap. 4.* eodèmq; consensu & Autoritate Apostolica summorum Pontificum aliorum ad alia Concilia, quæ Imperatorum indiclioni adscribuntur, ab his Episcopos convocatos, eruditè ostendit Bellarm. *cit. Lib. 1. cap. 12. & 13.*

124. Porro hujusmodi anthoritate con-

gregata approbatæque Concilia Generalia & Oecumenica univèrsim decem & octo enumerat Bellarm. *ibid cap. 5.* scilicet I. Nicænum I. sub Sylvestro Papa & Constantino M. Imp. inchoatum anno Christi 327. II. Constantinopolitanum I. sub Damaso Papa & Theodosio Seniore Imp. anno 383. III. Ephesinum sub Cælestino Papa & Theodosio Juniore Imp. anno 434. IV. Calcedonense sub Leone I. Papa & Martino Imp. anno 454. quorum quatuor Oecumenicorum Conciliorum mentio fit *can. 1. §. Harum, can. Sicut 2. can. Sancta 3. pr. dist. 15.* V. Constantinopolitanum II. Sub Vigilio Papa & Justiniano Seniore Imp. anno 553. VI. Constantinopolitanum III. sub Papa Agathone & Constantino Pogonato Imp. anno 681. cujus & præcedentis Concilii mentio fit *can. Prima 10. in fine dist. 16.* VII. Nicænum II. Sub Adriano Papa & Constantino & Irene Impm, anno 781. VIII. Constantinopolitanum IV. sub Adriano II. Papa & Basilio Imp. anno 879. quorum omnium meminit *can. Sancta 8. dist. 16.* IX. Lateranense I. sub Papa Cælestino II. & Henrico V. Imp. anno 1123. X. Lateranense II. sub Innocentio Papa II. & Lothario Imp. anno 1139. XI. Lateranense III. sub Alexandro III. Papa & Friderico I. Imp. anno 1180. XII. Lateranense IV. sub Papa Innocentio IV. & Friderico II. Imp. anno 1215. XIII. Lugdunense I. sub Innocentio IV. Papa & Friderico II. Imp. anno 1245. XIV. Lugdunense II. Sub Gregorio X. Papa & Rudolpho I. Imp. anno 1274. XV. Viennense sub Clemente V. Papa & Henrico VII. Imp. anno 1311. XVI. Florentinum sub Eugenio IV. Papa & Alberto I. Imp. anno 1439. XVII. Lateranense V. sub Julio II. Papa & Maximiliano I. Imp. anno 1512. XVIII. Tridenti-

dentinum ſub Paulo III. Papa & Carolo V. Imp. anno 1545. de quo *Art. ſequentē* fermo redibit. Inter hæc autē interceſſere ejuſmodi Concilia Generalia Sardicenſe, Syrmienſe, Quiniſextū, Francofordienſe, Conſtantienſe & Baſileenſe, Authoritate Apoſtolica partim approbata, partim reprobata. Piſanum authoritate illa nec approbatum, nec reprobatum: uti & Antiochenū, Mediolanenſe, Ariminenſe, Ephelinum II. Conſtantinopolitana duo ſub Leone Haurico & Conſtantino Copronymo Imp. Piſanum poſterius & Wittenbergenſe, ex toto reprobata, apud *cit.* Bellarminum *cap. 6. 7. & 8.*

125. Cauſa, ex qua generalia Concilia cogi conſueverunt, generatim eſt maxima neceſſitas Eccleſiæ. In ſpecie autem ſunt, Primò nova & antè non iudicata Hæreſis: cui ut occurreretur, primum Nicææ, & huic proxima ſex, poſteâq; alia ejuſmodi Concilia, & noviffimè quoq; Sacra & Oecumenica Synodus Tridentina in Spiritu Sancto congregata fuit; ſemper enim, nova Hæreſi invaleſcente, Univerſo fidelium cœtui ex ea imminens periculum tanti Eccleſiæ fecit; ut ad illam excludendam & ſi radices egreſſet, funditus extirpandam, conſiliis ac viribus communibus omniſque ope adnitendum, exiſtaret. Secunda, deſenſio Eccleſiæ adverſus communem hoſtem; cùm ſuper bellis ſacris ſuſceptis adverſus Sarraenos, in Conciliis generalibus, ab Urbano & Calixto utroque ejuſ nominis II. aliſque ſummis Pontificibus actum, in iisſque, Gregorii III. & VII. & Innocentij IV. Authoritate congregatis, agitata ſit cauſa de poſitionis Imperatorum Eccleſiæ infeſtorum. Tertia, generalis reformatio morum, & extirpatio abuſuum ac vitiorum, quæ perverſorum hominum malitiâ & paſtorum ac magiſtratum ne-

gligentia irrepererunt. Eam certè concernentes Canones ac decreta Reformatoria fere in omnibus Conciliis condita fuerunt. Quarta, Suſpicio Hæreſis in Pontifice Romano, & Schiſma ortum inter duos de Papatu contententes: ex quarum cauſarum priore Sinveſſanum Romanâque; ex poſteriore verò priſcatriâ, poſt eâque Piſanum & Conſtantienſe Concilia coacta ſunt: nullumq; his adverſus Schiſma potentius eſſe remedium, magiſtrò uti eſt compertum, *cit.* Turrecremata *Lib. 3. à cap. 9.* & Bellarminus *lib. 1. cap. 9.*

Ex huiusmodi autem cauſis legitime congregatis Conciliis generalibus perfectis, extra Urbem tamen ſemper per Legatos, intereſt, præſidèſque, & tanquam iudex omnia moderatur Pontifex Romanus: ut Conſiliorum Generalium perfectorum omnium exemplis demonſtrat Bellarminus *Lib. 1. cap. 19.* Ratio eſt; quia à Chriſti Domini D. Petrum alloquentis verbis, *Pæſce oves meas* Joann. *cap. 21. v. 17.* univerſi gregis ſui paſcendi cura ipſi eſt commendata; atque idcirco S. Hieronymus *Epistol. ad S. Auguſtinum*, Beatum Petrum præſidiſſe, ait, Concilio Apoſtolico, *Actor. cap. 15. v. 6.* in quo is primus ſurrexiſſe, primus eſſe locutus, primus quæſtionem propoſitam definiſſe, omnesq; eum ſecuti eſſe perhibentur *cap. cit.* Atque ob iſtam Apoſtolice Sedis prærogativâ Conciliorum Patres Romanum Pontificem *Parris* appellatione honorant: iſte verò illos *Pilitorum* nomine compellat, ut patet ex Theodoro *Lib. 5. cap. 10.* & Concilii Calcedonenſis *Epistola ad Leonem I.* apud Bellarm. *cit. cap. 19. § ſed hic.*

Neque hanc Apoſtolice Sedis prærogativam ancipitem reddit; quòd in Nicæno I. Conſtantineſi M. in aliis Conciliis Oecumenicis alii Imperatores

F 2

præle-

praesedisse perhibeantur; quia imprimis Constantinum Nicenae Synodo, tanquam eius moderatorem ac iudicem, non praesedisse, indubitatum inde est; quod in sede humiliori quam Episcopi, & non nisi his annuentibus confederit, apud Eusebium *Lib. 3. ejus Vita*; & apud Theodoret. *Lib. 1. cap. 17.* in ipso Concilio palam professus sit, se debere ab Episcopis judicari, eisque subiectum esse, non praepositum. teste Rufino *Lib. 1. cap. 2.* & Concilii Actis post omnes Episcopos subscripserit, teste Basilio Imp. in *Synodi VIII. sine.* Deinde; quia illius filium & Imperatorem Constantium, quod in Conciliis Ecclesiasticis primas tenere veller; Athanasius, Osius & Leonitius vehementer redarguere, testibus ipso met Athanasio in *Epist. ad Solitar. Vit. agent.* & Suida apud Bellarminum *cit. cap. 19. §. Ad haec.* Demum quia; esto Constantinus M. in Nicæno illo Concilio in Aula capite, Patres vero dextrorsum ac sinistrorsum sedes habuerint, locus tamen ille summæque sedes Imperatori honoris causâ delata, prima fuit solummodo materialiter, ut Ecclesiastico Concilio assideret potius, quam ut ei tanquam moderator & iudex praesideret; cum hoc Papæ, tanquam Christi in terris Vicario, & visibili Ecclesiae capiti proprium sit: & ante eum praesentem ipsi etiam Imperatori primus locus primæque Sedes, etiam materialis tantum in Concilio Florentino delata non sit, apud Bellarm. *§. Aliter cap. 19. cit.*

Confirmantur ista ex Actis Concilii Constantinopolitani IV. in quo Donatus & Stephanus Episcopi & Marinus Diaconus, Adriani II. Legati, post suæ Legationis fidem, exhibitis Papæ Literis factam, praesedere, & ad Concilii finem illorum primus ita subscripsit: *Ego Donatus Dei gratiâ Episcopus Hostiensis,*

*locum obtinens Domini mei Adriani Universalis Papæ, huic Sanctæ & universali Synodo praesidens omnia, quæ superius leguntur, promulgavi & manu propria subscripsi.* Post Legatos vero Patriarchæ omnes & post hos, ante Episcopos tamen, Basilius Imp. non definiens, sed suscipiens & consentiens, subscripsit cum praefatione, id juxta Constantini Theodosii & Martiani Impm. exempla à se post omnes Episcopos fieri oportuisse: factum autem ante hos; quod tali se honore afficere voluerint, Bellarm. *cit. cap. 19. §. Octavum.*

Quamvis etiam Episcopi in Generalibus Conciliis legitime congregatis suffragium seu vocem, non mere Consultativam, sed Decisivam: eamque non, ut S. R. E. Cardinales, Abbates & Generales Ordinum, ex privilegio vel Consuetudine, sed jure Ordinario & ex proprio Officio seu munere Pastoralis sibi competentem habeant, eorum tamen suffragiis factæ Definitiones infallibilitatem, & decerta Moralia legis Ecclesiae Universalis plenum robur & auctoritatem non obtinent: nisi Papæ Apostolica & in terris suprema auctoritate approbata fuerint & confirmata. Quæ etiam causa est, cur Conciliorum Oecumenicorum definitiones, decreta & Acta omnia ad Romanum Pontificem transmitti, eorumque confirmatio peti consueverit jam ab ipso Concilio Nicæno I. cujus Patrum in *Epistola Synodica* ad Sylvestrum Papam verba sunt, *Quidquid constituimus, in Concilio Nicæno precamur, ut vestri oris consortiâ confirmetur.* Exemplum istius fecuta sunt Concilia alia & novissime Tridentinum, cujus Patrum declaratio & solennis protestatio est, *Omnia & singula à se statuta ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolica*

*ſolica & ſic & eſſe intelligatur, Seſs. 25. cap. 21. de Reformat. Navarrus de Conſtitut. Conſil. 1. n. 4. Turrecremata Lib. 2. Summa cap. 71. Cajetanus de Comparat. Papa & Concil. Bellarm. Lib. 2. cap. 2. & 11. & Suarez Lib. 4. de LL. cap. 6. n. 2.*

129. Ea autem Concilia, quæ à Sede Apoſtolica confirmata ſunt, plenum robur eamque authoritatem obtinent; ut, ſicut primavorum quatuor Nicæni, Conſtantinopolitani, Ephèſini & Calcedonenſis, juxta *can. 1. § Inter cætera can. ſicut. 2. diſt. 15. & l. Cognoscere 7. §. 4. C. de Summa Trinit.* ſic cæterorum ejuſmodi Conciliorum planè omnium Canones ac decreta, Orthodoxæ Fidei doctrinam concernentia, perinde ut quatuor Evangelia, amplectenda & retinenda ſint; quòd ejuſmodi Concilia capiti ſuo unita aſſiſtentiam habeant Spiritus Sancti, qui eſt *Spiritus Veritatis*, Joan. *cap. 16. v. 13.* & repræſentent totam Eccleſiam, quæ eſt *Columna & Firmamentum Veritatis*, 1. Timoth. *cap. 3. v. 16.* atque idcirco ejuſmodi Canones ac decreta S. Auguſtinus *Epistol. 162.* vocet *Ultimum Eccleſie iudicium*; quòd, quia infallibile nullique errori obnoxium eſt, mutari & retractari, niſi errandò, non poteſt, teſte Epiſiphano *Hereſi 77.* & ne retractetur aut mutetur, à Conciliis Ephèſino *in fine* & Calcedonenſi *arr. 5. can. ult.* & Imperiali etiam ſanctione cautum eſt à Martiano Imp. 1. *Nemo 4. C. de Summa Trinit.* Bellarm. *cit. cap. 2. §. Sit igitur.*

130. Sicut Dogmatica, ſeu Fidei doctrinam concernentia, Evangelicæ Veritatis, ſic ordinationes & decreta ſpeſtantia Morum reformationè, ab huiusmodi Concilio toti Eccleſiæ propoſita, legis univèrſalis omnes Chriſti fideles

obligantis, vim & authoritatem habere, res eſt indubitata; cum enim huiusmodi leges condere valeat Papa ſolus, eas condere multò magis valebit cum Concilio generali, & ab iſto conditæ, ejus Apoſtolica authoritate accedente, leges Eccleſiæ univèrſales evadent *c. Si Apoſtolica 22. de Præbend. in 6. & l. 1. §. 6. C. de Vet. Jur. enucl.*

131. Quin ejuſmodi decretis Conciliaribus univèrſalis legis vim & robur ante Sedis Apoſtolicæ confirmationem competere, exiſtimat Sotus *in 4. diſt. 20. q. 1. art. 4. ad 2.* quòd Concilio Generali ipſa ejus convocazione huiusmodi leges condendi poteſtas conferatur: ad easque condendas fruſtra convocaretur, ſi ejus ordinationes ac decreta legis vim non obtinerent ante Apoſtolicam confirmationem. Sed verius, hac primùm ſuperveniente, eis plenum robur & abſolutam obligandi vim competere, cum Navarro *cit. n. 4. & Turrecremata Lib. 2. cap. 71.* ſuſtinent Suarez *cit. cap. 6. n. 2. Salas diſp. 8. de LL. n. 25. & Palao Tract. 3. diſp. 1. p. 23. n. 15.* & alii, id deſumentes ex perpetua Traditione & obſervantia Generalium Conciliorum, à Romano Pontifice petentium, aut recipientium decretorum ſuorum confirmationem. Ratio eſt; quia ab iſta independentem fideles abſolutè obligandi poteſtatem ejuſmodi Concilio non confert Papa: neque etiam contulit Chriſtus; cum ab iſto in Eccleſiam ſuam iurisdictionem immediatè ſoli B. Petro & ſucceſſoribus iſtius collatam, conſtet ex verbis. *Tues Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Matth. *cap. 16. v. 18.* & *Paſce oves meas*, Joan. *cap. 21. v. 6.* ut *ad Rubr. de Offic. Ord. à n. 76.* dicitur. Ex his

Infertur, à Concilio, in cauſa Hæreſeos Papæ vel ſchiſmatis congregato, quòd ca-

quòd careat capite, condi non posse leges Ecclesie universales: sed ea solùm statui, quæ præsens Ecclesie status & recta gubernatio exposcit, arg. *Clement. Ne Romani 2. princ. 1. de Elect.* quòd ista saltem statuendi potestatem illi adtribuendâ, dicitur ratio naturalis; ne eò rerum statu Ecclesia, omni, humano præsidio destituta, magis perturbetur & gravibus periculis exponatur, cit. *Suarez n. 4. & Palao n. 6.* Ex hæcenus dictis expedita est resolutio

132. Dubitationis, an Concilium generale condere valeat decreta seu leges, ipsum Papam obligantes. Cui aniam præbent imprimis à Symmacho Romano Pontifice coacta Synodus III, cujus *cap. 4.* relatò *can. Non liceat Papa 12. q. 2.* prædii Ecclesiastici alienatio ipsi Papæ est interdita. Dein Bulla Reformatoria, sub Leone X, in Concilio Lateranensi V. *sess. 9.* publicata, & in ipsa etiam Romana Curia observanda; & S. Synodi Tridentinæ, Mandata de providendo, quæ *Gratie Expectativa* nuncupantur, & à Sede Apostolica emanant, tollentis, inhibitiò etiam ante obtentorum usu, *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.* ac prohibentis imposterum beneficiorum Liberorum unionem cum Patronatis *sess. 25. cap. 9. §. Insuper de Ref.*

Verùm his & similibus decretis Conciliaribus Romano Pontifici legem non dici, laudatæ S. Synodi PP. luculenter contestati sunt *sess. cit. cap. 21. de Ref.* quò loco, *omnia & singula, quæ sub quibuscunque clausulis ac verbis de morum reformatione in Concilio statuta sunt, declarant ita decreta fuisse, ut in his salva semper Auctoritas sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur: idque sine juris & authoritatis Conciliaris derogatione; cum explorati juris Regula sit, jus & legem superiori dici ab inferiore, can. Inferior 4. junctâ Glossa V. eodem dist. 21.*

*Sc. Cùm inferior 16. de Majorit. & obed. imò & pari à pari non posse, c. Innotuit 2. V. Quamvis de Elect. & l. Nam & magistratus 4. ff. de Recept. arbit.* Romanorum autem Pontificum, B. Petri successorum, Christi Vicaria, in Ecclesia suprema & in terris nemini subiecta sit potestas, *can. Nunc autem 7. dist. 21. can. si Papa 6. dist. 40. can. Nemo 13. can. Aliorum 14. can. Cuncta 17. Sc. 9. q. 3. c. solita 6. & Extravag. inter com. de Majorit.* quibus locis in hanc rem allegatur illud Christi Domini, *Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam Sc. Tibi dabo claves Regni celorum Sc. quodcunque solveris Sc. Matth. cap. 16. à v. 18.* his enim, & illis etiam Verbis, *Pasci oves meas,* Joan. *cap. 21. V. 17.* in B. Petrum & successores supremam nullique subditam in terris potestatem à Christo Domino translata, doctrina SS. PP. & Ecclesie Traditio constans semper fuit, ut latè ostendunt Belarmin. *Lib. 2. de summo Pontif. Suarez de Fide disp. 10. & novissimè Eminenti. Card. Strondratus Regal. Sacerd. Lib. 2. à §. 4.*

Neque Romanum Pontificem ulli humanæ, etiam Concilii generalis, legislativæ potestati subiectum, evincunt in hanc rem allegata decreta; quia imprimis *Pape* nomine, Græcis *Patrem* denotante, antiquitus venisse quosvis Episcopos, notant *Glossa in can. Propter 7. V. Martini dist. 17. & Tholos. Syntag. lib. 15. cap. 2. n. 17.* eoque hos *can. Non liceat cit.* intelligi, verisimiliter *Barbosa in can. cit. n. 5.* observat. Deinde; quia idem Canon, uti & *cit. sess. 9.* relata Bulla Reformatoria non tam decreta Conciliorum sunt, quàm his approbantibus publicatæ Ordinationes summorum Pontificum, ut ex *can. cit.* inscriptione & *cit.* Bullæ præfatione, datæque abunde constat. De-  
mum quia

num; quia, licet Concilia summos Pontifices, & hi successores suos lege aliquâ constringere nequeant, propter defectum jurisdictionis, inferiori in superiorem & in parem pari non competentis, discreta tamen commotione & salutaribus consiliis eos dirigere, admonere officii sui, & quæ ad Ordinis ac disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem morumque in & extra Curiam reformationem conferunt, commendare non prohibentur & possunt, salvâ præminentia Apostolicæ potestatis, exemplò S. Synodi Trident. *cap. 9. & 19. junctò cap. 21. cit.* Haftenus de Generali.

134. Particulare Concilium est, quod non omnibus totius Orbis, sed alicujus tantum Nationis, Provincia, Diocesis Episcopis, vel Prælati, & Clericis convocatis, celebratur: estque triplex, Nationale, quod à Papa vel Patriarcha aut Primæte, omnibus totius Nationis seu Regni vel duarum pluriumve provinciarum Archi- & Episcopis convocatis, celebratur, ut complura Romana, Toletana, Africana. Provinciale, quod ab Archiepiscopo seu Metropolitanò, omnibus suffraganeis, sive totius provincie Episcopis, Abbatibus aliisque Clericis convocatis, olim singulis annis bis, *can. De Concilio 2. can. Pervenit 6. dist. 18.* postea semel duntaxat in anno, *can. Quonia 7. dist. cit. & c. sicut 25. pr. de accusat.* novissimò autè jure quolibet saltem trienniò, ex decreto S. Synodi Trident. *sess. 24. cap. 2. de Reformat.* celebrari deberet. Episcopale sive Synodus Diocesana, quæ ab Episcopo, aut vacante Sede à Capitulo, cum Abbatibus aliisque prælati & clericis suæ diocesis celebrari quot annis de Jure deberet, secundum *can. Quando 2. junctâ Glossâ fin. dist. 38. can. Placuit 51. junctâ Glossâ V. Concilio 12. q. 2. can. Abbates 16. pr. 18. q. 2. & Trident. cap. 2. cit. & fin*

Bellarmin. *Lib. 1. de Concil. cap. 4.* Suarez *cit. cap. 6. n. 8.* Laiman. *Lib. 1. tract. 4. cap. 7. n. 1.* & Vallens. *cit. §. 10. n. 5.*

Hujusmodi Particularia à Generalibus & Oecumenicis Conciliis, sicut convocatorum numero, sic etiam Autoritate plurimum differunt; cum, seclusâ commisione Apostolicâ, in materia Fidei aliquid definiendi careant potestate, Bellarm. *Lib. 2. cap. 10.* Placita verò sive decreta Morum reformatoria & statuta licet juris, sive legis Ecclesiasticæ, Nationis Provincie vel Diocesis, ex cujus Prælati & clericis congregata sunt, subditos obligantis obtineant vim, secundum *can. Carolica 8. dist. 11.* ubi relati D. Augustini sententia est, *Privatis constitutionibus unaqueque Ecclesia pro locorum varietate subsistit & regitur:* Ultra ejusmodi tamen nationem provinciam vel diocesim non porriguntur, *arg. can. cit. c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic. omni. jud. Suarez cit. n. 8. & Salas cit. disp. 8. n. 76.* Nisi ejusmodi Particularium Conciliorum canones & decreta Sedis Apostolicæ autoritate pro tota Ecclesia recepta sint & approbata, *can. 1. pr. dist. 19.* sicut à Leone IV, cum quatuor primis Oecumenicis recepta & approbata sunt Ancyranum Neocaesariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicense & quædam alia *can. 1. post. pr. dist. 20.* quia hujusmodi, perinde, ut generalium, Conciliorum decretis & Constitutionibus Apostolicis, omnes Christi fideles afficiuntur & obligantur; cum de iis procedat Regula, *Nostra facimus quibus auctoritatem nostram impertimus l. 1. §. 6. & c. si Apostolicæ cit. lidem Suarez n. 10. Salas n. 79. & Vallens. n. 10.*

Dubium est, an sicut generalia, ut Orbis Christiani totius, sic etiam Particularia Concilia, ut certæ nationis provincie vel diocesis subditos obligent, opus habe-

136.

137.

138.



habeant Apostolica confirmatione. Cui ansam præbet *can. Concilia 8. dist. 17.* ubi relati Symmachi Papæ verba sunt, *Concilia Sacerdotum quot annis decreta per provincias, quia presentiam Papæ non habent, Validitatem perdidit, hoc est, invalida nulliusque sunt momenti.* Sed verba hæc non laudati Papæ sententia, sed ejus adversariorum ab ipso proposita objectio sunt; atque idcirco verbo *Perdiderunt* ? interrogationis signum adjicit Ennodius post *can. cit. V. Perdiderunt.* Unde rectè intellecta verba illa aliud non evincunt, quàm obiectum infantiæ à Papa subjectam responsionem, scilicet à Conciliis Particularibus contra Apostolicas sanctiones, & de Fidei aliisque majoribus negotiis seu causis, iudicio Apostolico reservatis, nihil constitutum: & quæ extra hujusmodi causas ab iis statuta sunt, non fideles omnes, propter deficientem in istos jurisdictionem, sed propriæ tantum nationis provincie vel diocesis subditos obligare, juxta *can. Catholica cit. in fine can. fin. dist. 18.* ubi his *referanda* sive publicanda dicuntur Acta vel definita in hujusmodi Conciliis. Decretum quoque S. Synodi Tridentinæ *cap. 2. cit.* ea, quæ in Concilio Provinciali ordinata fuerint, observari præcipit, sine ulla mentione Apostolicæ confirmationis: quam ad illorum valorem non exigi, exploratum inde est; quod Archi- & Episcopis statuta, propriæ diocesis subditos obligantia, condendi competat potestas: dummodo nihil statuant, quod canonica obviet institutis, *et. Si quis 2. de Maior. & obed. & c. fin. de Constitut. in 6.* ut ad hanc Rubr. tradetur *v. 34. cit. Suarez n. 10. & Salas n. 77.*

## ARTICULUS. X.

## De S. Synodi Tridentinæ decretis &amp; declarationibus.

## SUMMARIUM.

139. In hac decretorum auctoritas.  
 140. Quorum Executio primum:  
 141. Dein etiam Interpretatio commissisa fuit S. R. E. Cardinalium Congregationi:  
 142. Cujus declarationibus vim Juris aliqui DD. adimunt:  
 143. Alij frequentiori calculo adstruunt.  
 144. Declaratio alia Extensiva alia Comprehensiva est.  
 145. Extensiva, ex se non habent vim legis:  
 146. Quæ pollent Comprehensiva, in forma authentica exhibitæ.  
 147. Respektu fidelium quorumcumque:  
 148. Licet non sint promulgata.  
 149. Eadem trahuntur ad negotia præterita pendentiæque,  
 150. Et quoscunque casus, similes declarato.  
 151. Authentice non exhibitæ aliquando receptæ sunt Usu:  
 152. Quæ secluso vim legis non habent:  
 153. Pæssim tamen DD. eis multum tribuunt.

**G**eneralium Conciliorum novissimum est Sacrosancta & Oecumenica Synodus Tridentina, sub Paulo III. Romano Pontifice & Carolo V. Romanorum Imperatore inchoata Anno Christi 1545. & sub Pio

sub Pio IV annò 1563. finita: cujus decreta non solum Dogmatica, sive ad Catholicæ Fidei doctrinam pertinentia, tanquam Orthodoxæ Fidei articuli, firmissimè retinenda: sed ea etiam, quæ Reformationem Morum & disciplinæ Ecclesiasticæ restaurationem concernunt, tanquam commune & novissimum Ecclesiæ Jus, ubicumque legitime promulgata, eis non usu, vel usu & Consuetudine contrariâ vel privilegiò Apostolicò derogatum non est, custodienda & observanda esse, communis & certa est Sententia DD. Orthodoxorum; quòd Concilium hoc in Spiritu Sancto, autoritate Apostolica congregatum, ejusque decreta omnia, post Sessionem 25. diebus 3. & 4. Decembris anno Christi 1563. celebratam, die 26. Januarij anno 1564. in Consistorio secreto confirmata sint à laudato Pio IV. qui, illorum Interpretatione sibi reservatâ, *Constitut.* quæ incipit *Benedictus 7. Calend. Febr. anno 1563. S. Concilii decretorum Executionem institutâ* o. S. R. E. Cardinaliū Congregationi commisit, *Constitut.* quæ incipit *Alias nonnulli 4. Nonas August. 1564.* publicata.

141. Paulò post tamen Pius V. ijs tantum casibus, qui dubii apparent, sibi retentis, decreta quoad casus, quos claros judicarent, interpretandi, teste Fagnano *in c. Quoniam 13. de Constitut. n. 7.* Sixtus V. autem ijs, quæ ad Fidei dogmata pertinent, sibi reservatis, decreta Morum reformatoria etiam in casibus dubiis, Papâ tamen in his consultò, interpretandi declarandique potestatem eidem S. Congregationi concessit, *Constitut.* quæ incipit *Immensa edita 11. Calend. Februarij 1583.* quibus Gregorius XIV. Papæ nomine scribendi facultatem adiecit litteris, in forma Brevi eidem S. Congregationi indultis, apud *cit.* Fagnanum *n. 7. in fine.*

De sic institutæ S. Congregationis declarationibus cum tempore ambigi, & in quæstionem deduci cæpit, an Juris sive legis Ecclesiasticæ vi polleant. Hanc enim eis negant Petr. Ledesma *Summa Tom. 11. de Penit. cap. 17. diff. 7.* Sanchez *Lib. 8. de Matrim. disp. 2. n. 10.* Laiman *Lib. 1. tract. 4. cap. 7. n. 26.* Pellizarius *Manual. tract. 4. cap. 4. n. 108.* Bonacina *de LL. disp. 1. q. 1. p. 8. n. 4.* & alii, non levibus argumentis persuasi.

Primò; quòd lex ferri debeat ac soleat per verba præceptiva vel prohibitiva, ut ex communi DD. sensu docet Suarez *Lib. 3. de LL. cap. 5. n. 8.* eamque, ut obliget, publicè promulgari sit necesse, juxta illud, *Leges instituntur cum promulgantur*, post *can. In istis 3. dist. 4. & Novell. 66. Rubr. & cap. 1. pr.* Declarationes autem Sacræ istius Congregationis frequentissimè per verba *Censuit, censemus*, de re aliqua sensum seu judicium, non præceptum vel prohibitionem denotantia: & petentibus reddi solent simpliciter, non Apostolicarum & Imperialium Constitutionum instar solemniter publicari seu promulgari.

Secundò, quia id, quod vim legis omnes obligantis habet, authenticè innotescere debet communitati, *can. Erit autem 2. dist. 4. & l. Leges 9. C. de LL.* Cardinalium autem declarationes communitati authenticè non innotescunt; cum ad hanc non dirigantur: neque, ut decreta Rituum, Inquisitionis & aliarum Congregationum, quæ istæ ab omnibus observari volunt, ita fiant, ut ad Diocesum Ordinarios per Agentes, quos Romæ habent, authenticè valeant pervenire.

Tertiò; quia declarationes istæ fiunt ad instantiam vel consultationem, in casu particulari inter partes controversò, vel in dubio, an Conciliari decreto certus aliquis

G

aliquis casus comprehendatur: Responsa autē super casu particulari, qualitatibus & circumstantiis particularibus vestito, partibus ligantibus vel alicui consulenti reddita legis vim respectu earum duntaxat, non etiam respectu aliorum, habeant; cum, quia res inter alios actae alios non afficiunt *c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. §. l. Inter 2. C. Quibus res jud. non noc. tum verò; quia leges pro iis, quae communiter & frequenter eveniunt: non pro particulari & perraro contingente casu feruntur, l. Jura 3. l. Ex his 4. §. c. ff. de LL.*

Quarto; quòd, cum decreti Conciliaris sensus, à Sacra Congregatione redditus per declarationem, ante hanc legis vim non habuerit: & non obligarit eos etiam, quos ignorantia Juris non excusat, legis vim consequi non poterit, nisi auctoritate ejus, qui condendae legis obtinet potestatem; nam *Unde prodit Jus, interpretatio quoque, quae vim Juris habet, procedit, c. Inter alias 31. de Sent. excom. cui consonat §. Ex his post can. sicut 11. q. 1. §. l. Leges 9. C. de LL.* Legis autem condendae potestatem S. Congregationi à Sede Apostolica collatam esse, non confiter.

Quintò; quia ab ista editae Conciliarium decretorum declarationes sunt innumeræ, earumque non paucae aliis atque aliis verbis expressæ, & quaedam auctae diminutave à DD. referuntur: quandoque etiam contrariae reperiuntur, teste ipsamet S. Congregatione in Decreto Gregorii XV. jussu edito, apud *cit. Fagnan. n. 59.* ut, si legale robur obtinerent, legum quotidie subnascentium multitudine Respublica Ecclesiastica obrueretur, varietateque & incertitudine non parum confunderetur.

Rationibus his nihil moti alii, non inferiores nomine & numero potiores

DD. praesertim RR. cum Rodriguez *Tom. 1. Regul. q. 11. art. 1. & 2. Garcia de Benes. in Praefat. Miranda Tom. 2. Manual. Praelat. q. 26. art. 11. Salas de LL. disp. 21. f. 12. Zypæo Analys. Jur. Pontif. in Praefat. Barbosa Lib. 1. Jur. Eccles. cap. 4. n. 83. Ridolph. Prax. Judic. p. 1. cap. 7. n. 83. Fagnano in c. cit à n. 8. & Pignatello Tom. 1. Consule. 86. n. 19. & alibi passim in declarationibus illis legalem vim agnoscunt, persuasi geminâ & utraque non levis momenti ratione.*

Una est; quòd, cum legis vi citra omnem dubitationem polleant Concilii Tridentini declarationes redditae à Papa, eadem vis etiam adstruenda videatur redditae à S. Congregatione; quia huic illa interpretandi potestas Papalis est communicata, ut locus sit Regulæ, *Quod quis facit per alium, perinde est ac si facit per se ipsum.* quae est 72. in 6. Cui rationi non leve pondus addit primò; quòd, cum utraque, Dogmatica & Moralia, S. Concilii decreta interpretandi potestatem Pius IV. sibi reservavit: Sixtus autē V. de Authentica potestate utraque interpretandi agens, eâ, quae Dogmatica concernit, sibi retentâ, Moralia spectantem concessit S. Congregationi, in hanc authenticè interpretandi potestatem contulerit. Secundo; quòd ex Constitutione Sixti V. declarationes in casibus dubiis non fiant, nisi summò Pontifice consultò: & istius nomine literis expressò, consulentibus reddantur, ex Concessione Gregorij XIV. Approbante autem Summo Pontifice ejusque nomine factae, eadem, quae ab isto per se redditae, ac proin legali vi debeant polere. Tertio; quòd declaratio sit manifestatio sensus legis; qui, sive à Legis conditore ipsomet, sive ipsius nomine & auctoritate ab alio manifestatus, legis anima visque & Lex ipsa est.

Alte-

Altera; quod illius à Sede Apostolica instituta S. Congregationis auctoritas non minor sit, quam fuit Prudentium seu Jurisconsultorum, super dubii Juris articulis respondendi à Cæsare obtinentium potestatem; ac proinde non magis istorum sententiæ ac responsa, quam illius declarationes vim legis debeant obtinere; ut, sicut ab illis, §. *Responsa 8. Instit. de I. N. G. & C.* ita ab his recedere judici fas non sit: neque recedat Rota aliæque Tribunalia Romana ejus, quod declaratio asserit, non exigere solita probationem, teste Fagnano *l. cit. n. 72.*

Hæc rationum ac DD. in utramque partem militantium vis & auctoritas Dianam adeo reddidit ancipitem; ut, cum priorem Sententiam *p. 1. tract. 10. resol. 29.* amplexus jam fuisset, postea tamen *p. 5. tract. 2. resol. 96.* suo de declarationibus iudicio suspensio, expectandam duxerit Sedis Apostolicæ super iis definitionem: quam, licet cum ipso maximopere exoptem, donec tamen ejus summæ Sedis magistris rei veritatem edoceat, meum de iis qualemcunque sensum expono, præmissâ declarationis generatim sumptæ naturâ & varietate.

**144.** Declaratio itaque, generatim sumpta, est ostensio sive exhibitio sensus alicujus legis, vel alterius actus dubii vel obsecuri: qui sensus, si à verborum propria & usu recepta significatione non recedat, declaratio Comprehensiva: si illam egrediatur, ultra id, quod verba propriè & secundum comunem sensum accepta denotant, aliquid concedendò, prohibendò, dispensandò &c. Extensiva: & rursus utraque hæc declaratio, prout ab aliquo publicam auctoritatem habente, eave carente procedit, vel Authentica, vel Magistralis seu merè Doctrinalis nuncupatur. Hoc præmissò,

Primò declarationes Extensivæ, **145.** quibus sacra Congregatio Concilii Tridentini, decretum ultra verborum propriè acceptorum significationem extendendò, aliquid decernit, prohibet vel permittit, vim & auctoritatem legis non obtinent: nisi fiant ex speciali mandato Papæ & legitimè promulgentur. Ratio solida & perspicua est; quia, eò ipso, quòd Conciliarium decretorum verbis non contineantur, sunt novæ leges Ecclesiasticæ, auctoritatem legislativam, quam Sacra Congregatio ex sua institutione non habet, in declarante exposcentes. Cujusmodi Extensivæ & authenticæ declarationes sunt Decreta Urbani VIII. iussu, à S. Congregatione de Alienatione rerum temporalium, ad monasteria aliosque Regularium Conventus pertinentium, 7. Septemb. de Apollatis Regularibus & ejectionibus 21. Septemb. 1624. & de Celebrat. Milsar. 21. Junii 1625. publicata, apud *cit. Fagnanum n. 43.*

Secundò declarationes Comprehensivæ, sensum à Verborum propria significatione non recedentem reddentes, saltem respectu eorum, quibus redduntur, vim legis habent, si Cardinalis Præfetti & Secretarii subscriptione & S. Congregationis Sigillò sint munitæ, prout decretò, quod incipit *Cum Sacra Urbani VIII. iussu 2. Augusti 1631.* editò præscribitur; & in casibus dubiis consultò Papâ facta sint, juxta *cit. Sixti V. Constitutionem*: quomodo eas his casibus fieri semper consuevisse, ait *cit. Fagnanus n. 35.* licet, ut ipse monet, id in declarationibus non semper exprimatur, & exprimi non sit necesse. Quare v.g. partibus, super aliquo casu controverso, vel Episcopo pro gregis sui recta gubernatione super dubio aliquo, ex Conciliaris decreti non satis claro tenore orto, consulentibus à S. Congregatione cum illa sub-

illa subscriptione & sigillo redditæ declarationes, saltem inter partes illas, & ab ejus Episcopi subditis diœcesanis legis instar custodiendæ sunt & observandæ: ut nemo facillè negat, & pro posteriori Sententia deductæ rationes omnino evincunt.

147. Tertiò, ita subscriptæ signatæque declarationes legis vim, in casibus declarato omnino similibus, etiam habent respectu aliorum, qui de illis ita redditis certam notitiam habent: ut iisdem rationibus suadet, & cum *cit.* aliisque DD. tradunt Cotonius *Controvers. Lib. 3. contr. 8. cap. 7.* & Gobat *Experient. Tract. 3. n. 604.* In quam rem Aliqui allegant geminas S. Congregationis declarationes; Sic enim, inquit, sponsalibus mutuo consensu dissolutis, publicæ honestatis impedimentum non tolli; & conjugia clandestina in Gallia à Germanis quibuscunque, solò clam contrahendi animò eò se conferentibus inita, irrita esse; melioris notæ RR. plerique docent, propter redditas super utroque articulo S. Congregationis declarationes, quas referunt Fagnanus *in c. Ad audientiam 4. de Spons. & Matrim. n. 29.* & Card. de Lugo *Lib. 1. Respons. dub. 36.* Verùm, quia utramque hanc Sacræ Congregationis declarationem summis Pontificibus consultis eorumque jussu redditam, iisdem perhibent, iis præcedens potius, quàm tertia hæc resolutionis pars confirmatur.

Istâ tamen propositam Declarationum vim, & ad similes casus extensionem nequaquam convellunt contra eam deducta argumenta. Et primi quidem parte priori, ex *Censendi* verbo de promptâ, hæcenus recepta declarationum vis non parùm roboratur; quia eò verbò S. Congregatio frequentius & jure utitur; quòd eò quondam, cum aliquid juberet aut vetaret, uti consueverit senatus, l.

*Senatus 52. ff. de Contrab. empt. cujus autoritate ipsa pollet, can. Ecclesia 16. q. 1. Innocent. in c. Cum te 23. de sent. & re jud. n. 1. & Censere frequentius ac juridicè idem est, quòd Constituere, decernere, præcipere vel prohibere, l. cit. & l. Censeri 111. ff. de V. S. Calvini Lexic. V. Censere.*

Magis in speciem urget ejusdem parte posteriori & alterò argumentò objectus defectus promulgationis. Sed in speciem tantùm; quia istam Comprehensive legis declaratio non requirit; cum istâ non condatur Jus novum: sed ante conditum jamque promulgatum solummodo explicetur ac demonstratur: ad quòd novæ promulgationis solennitas necessaria non est; quia actus declaratio sine solennitate, ad ipsum actum declaratum necessaria, fieri potest *arg. l. Hæredes 21. §. 1. ff. Qui test. fac. poss. & l. Assè 77. ff. de Hæred. instit. Bartol. in §. 1. cit. n. 4. Bald. in §. cit. V. sed & si pr. Tuschus V. Declaratio conclus. 94. à n. 6. & Bruneman in l. Hæredes cit. n. 12.* Neque verum est; quòd declaratio legem & obligationem Legalem novam ipsa inducat; cum, quia Comprehensive & propriè dicta declaratio de novo nihil statuit vel ponit: sed id, quòd statutum ac positum jam est, solummodo explicat & ostendit, DD. *cit.* & alii apud Tuschum *V. cit. conclus. 86. n. 1. & Pignatell. Tom. 5. Consult. 85. n. 21.* tum verò; quia lex nova ad futura tantùm negotia porrigitur: præterita autem & præsentia atque pendencia non afficit, *c. Cognoscentes 2. c. fin. de Constitut. l. Leges 9. C. de LL. & Novell. 113. cap. 1. pr.* declaratio autem ad præterita quoque & pendencia trahitur, *l. Assè cit. Felinus in c. Quoniam cit. n. 4. ubi Bald. n. 44. Anchoran. in Proem. Lib. 6. Decretal. n. 6. & Salas cit. f. 12. §. Quartò.*

Terti-

Tertium; quia, cum hujusmodi declarationis sensus ipsi S. Concilii decreto insit, actus, quem ipsa validum nullumve, licitum aut illicitum dicit, talis re ipsa est: licet talem eum esse agens ignoret, & propter veri sensus ignorantiam invincibilem à poena & culpa quoque excusetur: donec ei declaratio ex ipsius S. Congregationis literis in forma authentica exhibitis, aut ex istarum authenticò transumptò, de iisque acceptà fide dignà & certà relatione innotescat, Ochagavia *de Sacram. Tratt. 2. de Penit. q. 40. n. 12.* Palao *Tratt. 3. disp. 5. p. 3. §. 1. n. 6. Scit Salas §. Sextò.*

150. Quartum; quia S. Congregatio, super casu & dubio particulari consultat iis, quæ in factò consistunt, ad iudices Ordinarios remissis, autoritate Apostolica ferè tantùm pronuntiat de PP. Tridentinorum mente, ab iisque decretorum sensus ostendit, ut testis est ejus quondam Secretarius Fagnanus *in c. Quoniam cit. n. 65.* pronuntiationem autè Principis, ab eoque ad Responsum de Jure reddenda deputatorum, quid in aliquo casu Juris sit, declaranti, ad similes casu omnes porrigi, Juris Regula est, fundata *in l. fin. C. de LL. & S. Responsa §. Insit. de J. N. G. & C. Baldus in l. fin. cit. n. 1. & Fagnanus l. cit.* Ratio est; quia, cum Jus non pro uno duntaxat, sed pro aliis quoque similibus casibus & eventibus proditum sit, *l. Jura, l. Ex his cit.* authenticà ejus declaratione reddita pro uno, Cæteros etiam casus similes comprehendi est necesse.

151. Postremù; quia non facit contra declarationes exhibitas in forma authentica, & ex principio authentico notas; quia tales nec multæ, nec falsæ neque etiam inter se contrariæ facile reperiuntur; cum spatio quindecim annorum, quibus S. Congregationi à secretis fuit, ne unam quidem: anteaclis autem temporibus

omnibus duas duntaxat immutatas, omni exceptione major testis iterum sit Fagnanus *in c. cit. n. 57.*

Quartò, aliæ quoque declarationes Comprehensive, in forma authentica non exhibitæ, quando eas super eodem casu vel dubii juris articulo sæpius & uniformiter, sive eodem semper sensu redditas, aut secundum eas à Rotæ aliorumque, præsertim Romanorum, tribunalium iudicibus pronuntiatum esse, constat, vim & autoritatem legis habent. Ratio perspicua est; quia uniformitas respondentium ac sententiarum, super eodem articulo sæpius & uniformiter redditarum, inducit stylum seu Praxin Curie, Cynus *in l. 1. C. Que sit longa Consuet.* ubi Bartol. *in l. 2. n. 9.* Baldus *in l. fin. C. Stylus autem seu Praxis Curie jus facit, l. fin. cit. C. Quam gravi 6. de Crim. Fals. Anchoran. Consil. 53.* Suarez *Lib. 7. de LL. cap. 5. n. 5. & Palao Tratt. 3. disp. 3. p. 1. n. 3.*

152. Quintò, cæteras declarationes vim legis habere, nemo facile asserere ausit, postquam S. Congregationis nomine & absque ejus autoritate impressas imprimendisque, & manuscriptas etiam declarationes, quæ per multorum manus circumlatæ sunt, librorum prohibitorum Indici adjici mandavit Urbanus VIII, ut liquet ex decreto, quod incipit *Cum Sacra* ipsius jussu à S. Congregatione 2. Augusti 1631, edito, & in, atque extra judicium fidem adimente declarationibus impressis imprimendis & manuscriptis etiam, nisi Eminent. Card. Præfecti & Secretarii subscriptione & consuetò sigillò fuerint munitæ. Ratio hoc decernendi ipsomet decretò redditur; quòd ad S. Congregationis notitiam pervenerit, quam plures ex ejus declarationibus alteratas, diminutas, & forsan omnino confictas esse.

Hoc tamen decreti rigore non ob-

153. flante

G 3

stante *citt. Salas f. 12. in fine* Fagnanus *n. 59.* Sanchez *n. 10.* Diana *resol. 29<sup>a</sup> in fine* Pellizarius *n. 108.* & alii DD. plerique declarationibus, quæ à privatis, sed probatis Authoribus referuntur: & quod sensum à verborum proprietate non recedentem, rationique & comunib<sup>9</sup> Juris Regulis non repugnantem, aliisque declarationibus non contrarium reddant, de vitio aliquo suspectæ non sunt, haud ægre deferunt, ab iisque sine gravi ratione in praxi non recedendum, ajunt partim; quod Romanæ aliæque Curie Ecclesiasticæ contra eas non soleant pronuntiare: partim verò; quod, eas ex ipsis Originalibus aliòve principio authentico depromptas referri, credant: ex qua ratione ipsi etiam decreto Urbani VIII. jussu edito fidem habent.

## ARTICULUS XI.

## De Usu Juris Canonici, &amp; Civilis.

## SUMMARIUM.

154. *Consensus Juris Virisique.*  
 155. *Circa Ecclesias & Ecclesiastica Canonium,*  
 156. *Non Civile observandum est:*  
 157. *Nisi hoc merum favorem contineat.*  
 158. *Idem Jus Canonium in Materia Spirituali,*  
 159. *Et conscientiam concernente observandum est.*  
 160. *In materia prophana utrumque in suo Foro observatur.*  
 161. *Dubiam Legem Canon,*  
 162. *Et dubium Canonem Lex interpretatur.*  
 163. *De Causis Mixti Fori remissivè.*

164. *Sola Decretales Gregoriana in Scholis explanantur.*

**H**Actenus de partibus Juris Canonici: quod diversum quidem à Civili, non tamen isti omnino contrarium finem spectat. Hinc est, quod, sicut *Leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita Sacrorum Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuventur, c. 1. de Novi oper. nunt. & Novell. 83. cap. 1.* Quod maximè uluvenit, cum alicujus casus decisio in uno desideratur; eò enim casu id, quod in uno deficit, ab altero petendum, defumitur ex *c. Dilecti 4. c. fin. de Arbitris c. Cum secundum Leges 19. de Hæret. in 6. c. si iudex 12. V. sicut de illo, de Sent. Excommunicat. in 6. &c.* Quæ tamen doctrina non indiscriminatim vera, sed Regulis sequentibus temperanda est.

Prima est, cum de Ecclesia, de personis aut rebus Ecclesiasticis agitur, in utroque Foro Canonium Jus est observandum, arg. *c. Ecclesia 10. de Constitut.* cujus textu leges Civiles de illis, præcipiendò aut prohibendò, aliquid decernentes, pro irritis habentur. Ratio est, quia nulla jurisdictio vel potestas se extendere ultra suos limites potest, arg. *c. fin. de Constitut. in 6. & l. fin. ff. de Jurisdic.* cum lex & statutum vim suam omnem accipiat à disponentium & statuentium jurisditione ac potestate, *c. Anobis 21. de sent. excommunicat.* Ecclesiæ verò & personarum resque Ecclesiasticæ sint extra limites jurisditionis ac potestatis Secularis; cum Principis & magistratùs merè secularis potestas de illis statuere ac disponere nihil possit, *can. si Imperator 11. dist. 96. c. fin. de Reb. Eccles. alien. c. Quamquam 4. de Censibus in 6. l. Privilegia 12. & Auth. Cassa G. de ff. Eccles.* Atque hæc ut,

usque adeo vera sunt, ut à Sæculari magistratu de Ecclesiis & personis rebusque Ecclesiasticis, etiam in horum favorem, ipsi præcipiendò vel prohibendò, condita statuta viribus careant: nisi ab Ecclesia approbata sint & recepta; quia per modum præcepti vel prohibitionis de Ecclesiis personis ac rebus Ecclesiasticis statuta quandam Superioritatem & potestatem præcipienti vel prohibenti adstruunt in eum, qui præceptò vel prohibitione obligatur, Panormit in c. Ecclesia cit. n. 37. Vivianus in Ration, c. cit. & ibi Laiman n. 1.

157. Secunda, casu tamen, quò Juris Civilis dispositio esset merè favorabilis, nullumque damnū ac præjudicium, nullamque obligationem, personis Ecclesiasticis aliquid præcipiendò vel prohibendo afferret, sicut fit *Auth. Quas actiones C. de ff. Eccles.* quā Romanæ centum annorum, cæteris autem Ecclesiis quadragenariæ præscriptionis privilegium conceditur: *Auth. Ingressi C. de ff. Eccles.* quā bona ingredientium Religionem, si intestati decedant, monasterijs acquiruntur &c. Casu, inquam, quò lex civilis ita disponit, deficiente dispositione Canonica, retineri & in utroque Foro observari debet; quia talis dispositio est merum privilegium: quod etiam non subditis, & quin jurisdictione in privilegiatos exerceatur, concedi potest, secundum *cir. Panormit. Vivian. & Laiman. n. 2.*

158. Tertia, cum de rebus spiritualibus agitur, v.g. de Matrimonio cæterisque novæ Legis Sacramentis, de statu Clericali vel Religioso, de dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis, de Decimis Oblationibus, Primitiis, de juribus Sepulturæ vel Patronatūs, de Votis aut Juramentis, de causis Piis &c. Juris tantum Canonici dispositio est attendenda; quia de his aliquid disponere solius Ecclesiasticæ est

potestatis, *can. Certum 3. disp. 10. can. Duo 10. &c. disp. 96. c. Quando 3. de Judiciis, c. Tuam 3. de Ord. cognit. & Novell 8. pr.*

Ratio est; quia spiritualia, hisque annexa & res Ecclesiasticæ tractare, ordinare, de iisque aliquid autoritative disponere, solius spiritualis & Ecclesiasticæ, non Sæcularis est potestatis, c. *Decernimus 2. ibi Laici Ecclesiastica negotia tractare non presumant, c. si Judex 12. ibi, Quia de re Spiritualis & Ecclesiastica est, de sent. Excommunicat. in 6. &c.* Spiritualis autem & Ecclesiastica potestas à Christo Domino, sicut instituta, sic etiam immediatè commissa est B. Petro ejusque successoribus, & per hos inferiorum Ecclesiarum Prælati communicata: potestas verò Sæcularis ad tractanda & disponenda temporalia est ordinata, c. *Soluta 6. V. Quod autem de Majorit. Sobed. S. Thomas de Regim. Princip. cap. 1. 2. & 4. & Navarrus in c. Novit 13. de Judic. n. 85.*

Quarta, si de Conscientia & peccato agatur, & Jus Civile à Canonico divertat, sicut v.g. Concubinitus cum una uxoris locò domi retenta, cædes filia in sua vel generi domo & in flagranti cum adultero deprehensa, Usuræ merè lucratoriæ, præscriptio cum mala fide &c. à Civili permitta, à Canonico Jure improbantur, secundum hoc, non illud, pronuntiandum esse, delimitur *ex c. fin. de Prescrip. quò Generaliter, dicitur, omni Constitutioni & Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari.* Ratio est; quia de rebus, quæ peccatum continent & salutem animæ spiritualem concernunt, aliquid statuere, Ecclesiasticæ est potestatis, & præsertim Summi Pontificis, tanquam Vicarij Christi in terris & communis Pastoris animarum, *V. Quod autem.*



autem, &c. Novit cit. ideoque, cum circa ejusmodi res SS. Canones à legibus recedunt, hæ ab illis corriguntur & abrogantur. *can. Certum 3. can. Constitutiones 4. Et. dist. 10. Panormit. in c. 1. de Novi oper. nunt. n. 5. & Pirrhing ad Rubr. de Constitut. n. 69.*

160

Quinta, in materia prophana & animarum Salutem non concernente, v.g. in Contractibus, in successione ex testamento vel ab intestato, in constitutione vel restitutione Dotis, in Actionibus & similibus actibus civilibus, si inter utrumque Jus non conveniat, Civile in Imperio Romano; Canonicum verò in terris, temporali dominio Papæ subjectis, observandum est, *arg. can. Cum ad verum 6. dist. 96. c. Novit. cit. c. Causam 7. & c. Per venerabilem 13. V. Is autem in Patrimonio, Qui fil. legitimi*, Glossa in c. *de Quæstionibus 2. V. Lex Civilis, de Arbitr. in 6. Panormit. n. 7. & Laiman l. cit.* Ratio est; quia Ecclesiastica & Sæcularis duæ sunt potestates distinctæ, & in materia prophana neutra alteri subordinata.

161.

Sexta, quoties in materia prophana decisio Civilis dubia: Canonica verò clara est, in utroque foro standum est posteriori; quia Pontificiâ decisione sublata censetur legum obscuritas & sopita varietas Legistarum, Panormit. *in c. Per venerabilem cit. n. 38. & Laiman in c. Super litteris 20 de Rescript. n. 6.*

162.

Septima, contra si aliquid dubium

& obscurum in jure Canonico: clarè verò decisum est in Civili, huic insistentum est, si materia sit prophana, *c. 1. & c. Cum ex injuncto 2. de Novi oper. nunt.* ubi hujusmodi leges, SS. Canonibus non contradicentes ab Ecclesia videntur approbatæ. Ratio est; quia Leges Civiles conformes sunt rectæ rationi, atque idcirco conveniens est, ut Curia Ecclesiastica, proprijs Sanctionibus deficientibus, eas observet, Palao *Tract. 3. dist. 1. p. 5. n. 4.* In materia autem Spirituali Leges Civiles solummodò procedunt, quando canonizatæ, hoc est, expressè sunt approbatæ, usque Adoptione & matrimonio dirimente factum est *Rubr. &c. Unico de Cognat. Legali.*

Octava in criminibus Mixti Fori, 163. Ecclesiasticus Canonico: Sæcularis verò Judex Civili Jure decretas penas irrogat, ut *Lib. 2. tit. 2. à n. 97.* statuatur.

Hæc Juris Ecclesiastici explanationi libuit præmittere; ut in ista jam progressis, cum res poscet, non sit opus recurrere, sed respicere sufficiat. 164. Illud tamen etiam juvabit præmonuisse, ex relatis istius Juris Voluminibus in Scholis solas Decretales Gregorij IX. ex proposito explicari. Ea verò, quæ reliquis continentur, ne universi Juris tradendi necessitas eadem sæpius repetere cogeret, ad respondentes illarum Rubricas seu Titulos reduci consueviffe ab alijs, & à nobis reducenda. Sit itaque

